BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
23 — C
10
M

1139 ff 3a
S. KK
O. 8
N. 15

EXPOSITIO IN EXODVM A PRINCIPIO AD PRIMOGENITORVM ÆGIPTI

necem vſque, aliquot Homilijs partita, ac concionibus tempore Aduentus Saluatoris accommoda.

In calce libri, habetur de immaculata Conceptione Sacratißimæ Virginis breuis concio, iuxta vicißitudinem atque Aduentus tempora breuiora vel prolixiora declamanda.

Fratre Firmino Capitis, doctore Theologo, ordinis Minorum, autore.

PARISIIS,

Apud Nicolaum Cheſneau, via Iacobæa, ſub ſcuto Frobeniano, & Quercu viridi.

1579.

Cum priuilegio Regis.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, eſt permis à Nicolas Cheſneau, Libraire iuré en l'Vniuerſité de Paris, d'Imprimer, & expoſer en vente ce preſent liure, intitulé : *Expoſitio in Exodum, &c* Et ſont faictes defences par ledict ſeigneur à tous Libraires, Imprimeurs, & autres de ce Royaume, n'en imprimer, vendre, ny diſtribuer, ſinon de ceux qu'aura imprimé ou faict imprimer ledict Cheſneau, ou de ſon conſentement, iuſques apres le temps & terme de neuf ans finis & accomplis apres la premiere impreſſion, à peine de confiſcation de ce qui ſ'en trouueroit d'imprimez ou venduz au contraire, & d'amende arbitraire : comme plus amplement eſt declaré par les lettres dudict ſeigneur ſur ce donnees à Paris, le 26. Auril, 1575.

Signees, Moré.

REVERENDISSIMO PATRI DOMINO DOMINO Nicolao Bouſmard Epiſcopo ac Comiti Virdunenſi, & S. Imperij Principi, Frater Firminus Capitis, gratiam Dei.

INter gratiarũ genera quibus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, humanum genus peccato collapſum, ſubleuare dignatus eſt, Reuerendiſsime Pater, id potiſsimum fuit vt vnigenitum ſuum daret, cuius mortis merito, ſine quo nulla venit expectanda gloria, redimeretur, & eriperetur de poteſtate Satanæ, & in regnum diuinæ dilectionis tandem transferretur. Ea mors tanto ampliorem habet gloriam, quanto abundantioribus figuris & prophetarum oraculis olim enituit, quæ ſi per ſingula recenſerentur: breuis epiſtolæ menſuram exuperarent. Verumquidem inter figuras quæ hanc mortem adumbrarunt, nullã celebriorẽ ea habemus, qua ſub Moyſe filij Iſrael excuſſo Pharaonis iugo & quidẽ duriſsimo, Aegiptum illæſi reliquerunt, vt terram

promiſsionis, quæ æternæ patriæ typ⁹ erat, peteret, non tamen ſine ſanguinis agni effuſione ſimul atque eſu cum azimis, quatenus vtrumque myſterium vnius & eiuſdem ſacrificij diuerſa ratione monſtraretur, vt in agno occiſo ſacrificium cruentum , in azimis verò incruentum typum haberent. In cruento, Chriſtus animam poſuit, in incruento, ſuæ mortis memoriam inſtituit, vt quotienſcunque eius carnem manducauerimus, & ſanguinem biberimus, mortem eius annunciemus donec veniat. Inculcauit dominus Abrahamo quod eduxerit eum de Hur Chaldæorum, & Dauidi quod de manu Saulis eum liberauerit: & id quidem rarò. Iudæis verò hanc Aegiptiacam liberationem non ſolum inculcaſſe, verum & exprobraſſe ſepius in ſcripturis legitur. Vt nos, qui Chriſto nomen dedimus, quorum iuſticia quàm Iudæorum abundantior ſit: neceſſum eſt, tenaciùs Chriſti mortem memorie commendemus, quanto veritas longè figura præſtantior habetur. Quam quidem figuram, ea qua potui gratia, hijs quorum ſalutis curam indignus ſuſcepi, oretenus explicaui ſequens duodecim capitum ordinem. Sed ne fragmēta qualiſcunque doctrinæ noſtræ pereant, eorum expoſitionem rudi ſtilo depictam, in viginti ſeptem Homiliarum volumen

(concionibus declamandis tempore Aduentus accommodum) cuſtodiri curaui. Sed cum filiorũ Iſrael primitiæ ad ſolum ſacerdotem pertinerent. Aequum eſt, vigilãtiſſime Præſul (quẽ prædicatorum verbi Dei ſynceritas, modeſtia & veritas, ſummopere delectant) vt tibi, qui in Epiſcopatu tuo ſummus inter cæteros comprobaris, haſce primitias noſtrãrum prædicationum, primitias inquam, ſi tempus ſpectetur quo cepi docere apud S. Amantium, populum quem regendum ſuſcepi, dedicandas offeram: vt in ceteris cõcionibus qualiter prædicauerim, ex hijs primitijs diſcernere piſſis. Quas profecto te acceptur[illegible]ã animi puritate, qua offero, non diffido. Vt quæ nomine meo vileſcunt: tuo illuſtrentur, & valeant. Vale Reuerendiſſime Pater, ſemperque optime in Chriſto valeas: non perfunctorie deſidero. Virduni, die 20. Septembris, Anno. 1579.

EXPOSITIO IN EXODVM A PRINCIPIO AD PRIMOGENITOrum Ægipti necem vſque, aliquot Homilijs partita, ac concionibus tempore Aduentus Saluatoris accommoda.

Homilia prima.

HAEC ſunt nomina filiorũ Iſrael qui ingreßi ſunt Aegiptum, ſinguli cum domibus ſuis introierunt. Chriſtus (inquit Apoſtolus) venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, contemptis reprobis, à quibus ſeiungantur qui ſalutem deſiderant: neceſſum eſt. Cum enim Chore aſſeclis ſuis ſtipatus populum ſciſmate diuideret, reliquę plebi dictum eſt. Recedite a tabernaculis virorum impiorum: ne inuoluamini in peccatis eorum. Siquidem filij Dei (quos in diuini cultus gratiam) filios Seth vocant, vltrice diluuio interierunt, quod filiarum hominum, id eſt filiarum Cayn: non vitarunt conſortia. Ob id Chriſtus venit mittere gladium in terram, & ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & nurum aduerſus

1 Tim. 1. *Numer. 16.* *Gene. 6.* *Mat. 10*

ſocrum ſuam. Cum autem gladium audis, nolim telum putes quo corpus agitur, ſed ſermonem fidei, quo Chriſtus nos auellit a conſuetudine familiarium, & cognatorum ad pietatem impedientium. Hinc filio perditionis abeunte: Chriſtus in Apoſtolorum choro dicitur clari-
Ioan.13. ficari. Qui tametſi velit omnes ſaluos fieri, &
1.Tim.2 ad agnitionem veritatis peruenire. Eos tamen ſolos amplectitur, qui in ſacramentorum integritatem ac illibatam obedientiam fide coeunt inconcuſſa: & Deum adorant in ſpiritu, & veritate, in ſpiritu ſine ſimulatione, & hypocriſi, in
Ioan. 4. veritate ne quis ſeruiat creaturæ potius quam
Rom. 1. creatori, qui improborũ multitudine ab equitate non deflectitur, ita viciſſim nec iuſtorum
Luce. 12 auerſatur paucitatem, ne puſillus grex timeat: quem regno cœlorum cœleſtis pater dignatur.
Deut. 7. Nec ob id iunctus eſt Dominus populo Iſraelitico, quod ceteras gentes numero vinceret, ſed quia dilexit eum dominus. Multis in Chriſtum ſeuientibus, exigua diſcipulorum turba eius
Gen. 12. deflebat vices, Ad incognitam patriam transfert
Exẽplũ argumẽti ex Abrahamo. Abraham dominus vt in fide permaneret, ne fidem [quam inter Chaldęos illęſam ſeruauerat] longiore infidelium contubernio aliquãdo deperderet, malens illum in alieno ſolo ſaluari quã in proprio perire. Iacob eius nepos, famis ſubleuandę gratia cum ſuis familijs Ægiptum petit, hoc prouidente Domino, vt ſeptuaginta dumtaxat animarum ſtipatus famulatu, in medio nationis prauę ad felicem obitum vſque incolumis permaneret: & poſt mortem creſceret

in poſteris Chriſtum in typo gerēs, qui in hunc mundum veniens qui in maligno poſitus eſt. Verbi Dei & ſacramentorum pabulo eſurientes impleret. Et diuites qui ſpiritu arrogantiæ ſeſe rebantur ſapientes: dimittens inanes, poſt crucis ſupplicium, duodecim Apoſtolorum indefeſſo & ingenti labore, ſuorum auxit numerum, tanta hominum turba obediente fidei, vt illa etiamnum Apoſtolis ſuperſtitibus in vniuerſo mundo annunciaretur, *Quaſi germinantes multiplicati ſunt ac roborati nimis impleuerunt terram.* Chriſti, & Martyrum agone conſummato, totus fere mundus Chriſto nomen dedit. Tantum quidem robur ſanguinis Chriſti & martyrum erat, vt ad terrarum oras extremas, extenderet victoriam. Sed multiplicati & roborati nimis ſuper terram Chriſtiani, moleſtijs peccatorum non caruerūt: quæ mundi fauore grandeſcunt. Veniente Ioſeph & eius fratribus, populus miſſus factus eſt. At hijs defunctis, noui regis qui Ioſeph ignorabat, experiuntur tyrannidem. Non enim aliter Satanas regis Ægipti caput, imo ipſemet Rex nouus ex temeritate intruſus exurgere aduerſus nos nouit, niſi Chriſtus [proh dolor] nobis moriatur, & noſtra deſidia obliuioni contradatur. Nouus eſt Rex, quod noua regnādi cupidine, antiquum dierum, Deum æternum ſolio maieſtatis, quantum poteſt nititur deturbare. Chriſtus verò nequaquam nouus cenſetur, quia in principio erat verbum quod & ſi ex tempore caro factum ſit non poteſt tamen dici Deus recens: quemadmodum Satanas qui ob id ſurrexit

1. Ioā. 5.
Luce. 1.
Rom. 1.
Ioan. 1.

nouus Rex, dum germinantes filij Iſrael multiplicantur. Quoniam maximè Chriſti Eccleſiæ nouus ille Rex inuidit, quando dilatata fide copioſiorem Chriſti gregem effici conſpexit, qui
Sapi. 2. iam primorum parentum fœlicitatem non ferens procurauit interitum, quoniam inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum. *Venite ſapienter opprimamus eum*. Hæc ſunt antiqua Satanæ tela, vt arte magis quam poteſtate moliatur, vt quod perperam committit, iuſticię, & virtutis fuco dignum laude cenſeatur. Nec id agere ſolus aggreditur, ſed populo fretus quem ſibi ad crimen aſciſcit. Nam populus ille Ægipti iniquo Regi ac crudeli blandiens Angelorum caterua Satanæ eſt, aut hæreticorum plebs: quæ extinctę fidei lumine, diuerſarum hæreſum tenebris excęcata: partes tuetur Satanæ, qui dicit bonum malum & malum bonum, ponitque lucem tenebras & tenebras lucem, ſtudetque ſummoperè vt vincat multitudine & numero fideles.
Eſaye. 5. *Ne multiplicetur & ſi ingruerit contra nos bellum addaturque inimicis noſtris, expugnatis quæ nobis egrediatur è terra*. Mos eſt eorum qui rem moliuntur iniuſtam, aut fraude ſerpere, aut violentia irrumpere, innitique multitudini. Idque hæreticis noſtri ſeculi contigiſſe: tritus docuit rumor imo ipſa experientia. Siquidem paſſim reliquis ſe plures eſſe ſœpiùs clamitabāt, ſimiles Phariſæis [quorum in ſciſmate hæredes
1. Paralip. 14. ſunt] qui Chriſtum conuenientes, multitudine ſe armauerunt: ipſa veritate nudi exiſtentes. Sed apud Deum nulla eſt diſtantia vtrum in

paucis an in plurib⁹ auxilietur. Nam Stephanus prothomartyr diuino flamine act⁹, iniquę multitudini loquendi pręcludit facultatem tametſi ſolus. Quid iactat multitudinem hæretica temeritas? proculdubio ſuper omnia vincit veritas. Inimici Satanæ, quibus ne addamur, non modicum pertimeſcit: Angeli Dei ſunt, quos caſtra Dei vocant: quorum opera, & auxilio dimicamus. Nouit Satanas figmentum noſtrum noſque expetit ſicut triticum, vt ſolo peccatorum excremento onuſti, vel vt melius dicam, grauati: ſimila ſincerę doctrinę deſtituamur. Et ſic in terra maneamus ſatagit: ne conuerſatio noſtra, cœlorum fiat domeſtica. Itaque timet à nobis expugnari, & nos à terra ſeparari. Quia quandiu nobis dominatur, terræ coloni ſumus. Ob id Deus eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnũ dilectionis filij ſui, qui aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem alligato prius forti, eiuſque ſpolijs & vniuerſis armis ablatis, terra in qua Satanas deſiderat nos manere eſt illa longinqua quam prodigus relicto crudeli domino reliquit, vt ad patrem reuerteretur. Vt excuſſo infamiæ iugo: in ſeruorum & mercennariorum tranſiret conſortium: ſed patris intercedente clementia, filij priſtinam recuperauit libertatem. *Quantoque magis opprimebat eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant.* Luxu & rerum ſecularium abundãtia gentes in impietatem euaneſcunt, & ad nichilum redigũtur, iuſti autem fluctibus tentationum tanto altiùs euehuntur, quanto aquarum vndę exceue-

3. Eſd. 4
Luce. 22
Collo. 1.
Ephe. 4.
Luc. 11.
Luc. 15.

rint. Nemo enim perire poteſt, quem Deus cõſeruare decreuerit. Siquidem multæ tribulatio-
Pſa. 118. nes iuſtorum: & de omnibus hijs liberat eos dominus. Quid eſt ergo quod quantomagis eos opprimebant, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant? niſi quod quanto impiorum aduerſus electos nititur conſilium, tãto amplius
Mat. 5. Dei propoſitum impijs inuitis in ſolamen eorũ qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur, impletur & cõpletur. Populus enim Dei vinea eius electa eſt, cuius fructus magis effluit: quẽ vrget torcularis anguſtia. Creſcebant ſimiles
Eſa. 5. quibuſdam radicum generibus, quæ non niſi attritis folijs proficiunt. Hinc Chriſtus nõ quidem de arbore vel ramis Ieſſe: ſed de radice ortus legitur, ne frondium virentium, aut arboris præpotentis, regnum Chriſti humano faſtigio vel aure populari conferetur inniti. Sed ex radice, inquam, & latente Dei propoſito, quod
Eſa. 11. ſuccisis & elapſis regni Dauidis cęterorumque Regum Iuda, decore, ſceptro, & purpura, inuiolabile perſeuerat, vt quod in diadematis temporarij ſuppreſſione videretur irritum, in regno Chriſti ęterno cenſeretur impletum. *Oderantque filios Iſrael Ægiptij, & affligebant illudentes atque inuidentes.* Non eſt tanta regum, aut demonum vis, vrgenſque dominatio, vt ad illicita quenquã cogere valeat, ſublato voluntatis conſenſu, ne noui Regis conſilio, aut eius imperio dumtaxat inducti Ægiptij filios Iſrael afflixiſſe exiſtimentur. Siquidem oderant Ægiptij filios Iſrael, ſed maiore flagitio quam rex ille nouus, qui Ioſeph

ignorabat. Illi verò nempe Ægiptij ignoraſſe non poterant,ſaltem ſuccedaneo patrum documento : ſcilicet quantum vtilis toti fuerit ægipto quam famis releuauit inopia. Itaque oderant ægiptij filios Iſrael, malum pro bono reddentes,& ingratitudinē beneficijs Ioſeph (quā defunctus ſentire non potuit) in eius poſteris oſtendentes. Nec inficior illum regem nouum Iſraelitas odio habuiſſe, ſed minoræ ſuæ ſalutis incommodo,quia qui non cognouit & fecit digna plagis : vapulatur paucis. Crediderim ſanè *Luce.* 12
ægiptiorum odium nouo Regi in Iſraelitas, ſeuiendi maius fomentum præbuiſſe. Si enim Ægiptijs Iſraelitas exoſos cognoſcens, etiamnum aperto marte veretur eos affligere. Nam venite (inquiebat) ſapienter opprimamus eum , ea immanitate temperatum iri non ambigo : ſi eos Ægiptijs amabiles comperiſſet . Ægiptiorū igitur inuidia nouo Regi aduerſus populum Dei : manus cruentas conſciuit . Nec hoc noſtro infœlici ęuo aliunde Turcarum in Chriſtianos obortæ ſunt cedes , quam quod Eccleſiæ deſertores,malunt illius aduerſarij, Turcarum imperatoris pietatis Chriſtianę aduerſarij : infame ſubire iugum (tanta eſt eorum nequitia) quam pijs patrum parêre ſanctionibus. *Affligebant illudentes*, Exprobrantes priſcorum regum fauorem , noui principis odio & indignatione commutatum & longeuam pacem in miſeros tranſiſſe labores . Eo genere perſecutionis gladius ipſe mitior viris cordatis videtur,nam Saul longè magis à ſeruo trucidari maluit, quam ab in-

circuncifis illudi. Nec mitiùs contigit pueris
1. *Reg.* 13 Helizeum illudentibus, quam Baal Pſeudopro-
3 *Reg.* 18 phętis ipſum inuocantibus. Cęterū, inter gra-
4. *Reg.* 2 uiora Chriſti tormenta illuſio non defuit, quæ
adeo huc vſque in hæreticis perſeuerat, vt ſi illu-
Hæretici ſunt illuſores ſores non ſint non cenſeantur hæretici, nonne
extremum illuſionis genus eſt nomine veritatis
mendacium texere? Et clamitare Chriſtum do-
minum Deum & nichilominus eius omnipo-
tentiam proſcindere? Aut illum veracem dicere,
& viam veritatis docuiſſe, tamen eius verba
veritatis ieiuna effutire vt cum corpus ſuum di-
xerit, illi dicunt merum panem? *Et inuidentes.*
Ob id affligebant, quia inuidebant eis annos
longęuos quod caſtiùs Ægiptijs viuerēt, ſobo-
lis augmentum cultumque diſparem, rei fami-
liaris fœlicem ſucceſſum, atque grægum curam
quam ægiptij maximè deteſtari dicuntur. De-
mum illorū proſperitatem: ſuum putabant cru-
ciatū. Et quis ignorat ægiptios .i. hęreticos no-
ſtri temporis tanto mœrore confici, & in cle-
rum excandeſcere, pręſertim quod rebus ſecun-
dis abūdat? Non inficior pleroſque clericorum
& monachorum plus æquo indulgere volupta-
ti, in ſanguine Chriſti luxuriari, crudeles in pau-
peres, imo latrones pauperum. Non eſt tamen
quo ipſi hæretici excandeſcant, in Chriſti mini-
1. *Cor.* 4 ſtros, & diſpenſatores myſteriorum Dei, vt ani-
marum cura negligatur, & ſacramenta habean-
tur contemptui. Nec illorum inuidiæ teſſere &
indicia potuerunt abſcondi cum ante annos cir-
citer decem templa deuaſtarent, altaria frange-

rent, ſanctam Euchariſtiam pedibus conculcarent, ocreaſque ſuas ſacro chriſmate & oleo ſancto vngerent, non quidẽ odio idolatrię [cuius catholicos temerè inſimulant] id egerunt. Alioquin id indiſcriminatim feciſſent. Siquidẽ, non vbiuis graſſabantur, ſed in locis quorum dominos auerſabantur. *Atque ad amaritudinem perducebant vitam illorum operibus duris luti, & lateris.* Qui principi huius mũdi paret iugum graue ſubeat neceſſum eſt. Vt ſeruis Dei edẽtibus eſuriat, bibentibus ſitiat, lętantibus quæ cõfundatur, Tanta ſanè eſt vtriuſque domini diuerſitas, id eſt Chriſti & Satanæ. Ille humilis, iſte ſuperbus. Ille humanus, crudelis iſte, quẽadmodum de Chriſto in euangelio hodierno dicitur. Dicite filiæ Syon. Ecce Rex tuus venit tibi mãſuetus, iſte iubet colere terram in quam deſerto cœlo proiect⁹ eſt: terram inquã fructus ieiunã, vt pote quæ lutum eſt, quod igne coquente in lapidum tranſit duriciem, non naturam. Nec illa terra in quam proiectus eſt alteri vſui eſt accommoda quam vt inuidia vrente, duriciem pariat obſtinationis, quæ virtutum vbertatem ignorat. Chriſtus verò qui rogatur hodie vt in excelſis ſaluet, nos ſubducens terræ, thæſauros noſtros cœlo adhortatur recondere, quo inebriabimur ab vbertate domus eius. Interim cœlum in terris colimus quãdiu cõuerſatio noſtra in cœlis eſt. Et tũc vita noſtra ad amaritudinem perducitur in operibus duris, luti & lateris, dũ animos noſtros, quos plus æquo curis huius ſeculi impendimus, recogitamus Deo in amari-

Eſa. 65.

Mat. 25

Pſal. 35.

Eſa. 38.

tudine animæ noſtræ, recogitamus inquam, ne ſemel, aut perfunctoriè noſtra planxiſſe peccamina, mentis ſecuritatem parere videatur. Ob id regius pſaltes dicebat, laboraui in gemitu meo non quidem ſemel atque iterum id feciſſe perfectum rebatur ſed lauabo inquiebat, per ſingulas noctes lectum meum lachrimis meis ſtratum meum rigabo, alioquin, ſi perfunctoriè peccata tua defleueris, noueris te ſub Satana merere, & cum illo diuite anxie ſollicitudinis iugum ſubire vt proprijs, & abundantibus torquearis facultatibus quibus in domino frui debueras, & tandem animam perpetuò torquendã vna nocte tenebrarum exteriorũ dyabolo redditum. *Omnique famulatu quo in terræ operibus præmebantur.* Vt Ægiptię tyrannidi ſatis non fuerit illos ad artificium adigere, verũquidem ad vilia miniſteria impellebat, quo fiebat vt inter induſtrios & ruſticanos, nullus delectus fieret, & labori dedecus ſociatum, infœliciorem Iſraelitarũ conditionem redderet. Hoc enim opus diaboli vt ſerui Dei tormentis imo etiam infamia lacerentur. *Si maſculus fuerit interficite, Si fœmina, reſeruate.* Ecce extremũ ſeuiẽdi gen⁹, quo infamia, imo rabies in culpis nudos trãsfertur. Tanta eſt regnandi cupido, aut regni amittẽdi metus. Sed regnum iuſtitia ſtabilitur, non inſontis cede grãde regis nefas, ſi pueros ſpectes. Sed per eorum necem horrendum erat Satanę in Regem ſacrilegium, quo in tanta puerorum extinctione ſanctum ſemen, id eſt. Chriſtum, operiebatur periturũ, Obſtetricũ famulatu quæ parturientiũ

Pſal. 6

ſolantur

ſolantur anguſtias non temerè Apoſtoli & quiuis verbi Dei fideles diſpenſatores cēſentur, qui fidelium parturientibus non abſimilium adiuuant infirmitatem, vt diuina patris cœleſtis voluntate impleta, Chriſtus ab eis naſcatur, à quibus ex euangelij auditu , iam conceptus eſt : vt merito matres eius habeantur. At verò qui euangelium Chriſti prædicandum ſuſceperunt, aut vt meliùs dicā vſurparunt, dū errore & mendacio veritatē cōmutant, & ponunt tenebras lucem, & lucē tenebras, & oculis hominum verba *Eſa.30.* offundunt placentia, & in occaſionem carnis libertatem tribuunt, ſanè maſculum interficiunt, id eſt Chriſtum, & fœminam reſeruant .i. anſam delinquendi præbentes. Vis videre Pharaonem obſtetricibus præcipientem, maſculos necare, & reſeruare fœminas? Ecce Principes Iudæorum denunciauerunt Apoſtolis ne loquerentur, neque docerent de Ieſu. Sed quid eſt non docere Ieſum, niſi agere ne regnet in nobis? *Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Aegipti, ſed conſeruabant mares.* Pluris fecerunt Dei volūtatem quàm Regis, typum in ſe Apoſtolorum præferentes qui dixerunt. Si iuſtū eſt in cōſpectu Dei vos potius audire quā Deum, iudicate. Iamdudum conſpirauerāt Iudæi vt ſi quis confiteretur Chriſtū extra ſynagogam *Act.8.* fieret. Nichilominus in euangelio hodierno, vi- *Ioan.9.* demus plurimam turbam, etiam pueros encomijs & laudibus Chriſtum attollentem, nec talibus etiam aduerſariorum turba murmurante, temperantem. Timor enim Dei, humanos ſper-

nit terrores. *Et quia timuerunt obſtetrices dominũ ædificauit illis domos.* Tãta eſt diuinæ pietatis abũdantia, vt inter peccata quę maximè ad veniam ſpectãt, virtutes ſua nõ careãt mercede. *Nõ eſt in eis remunerata falacia ſed beneuolẽtie, benignitas mẽtis non iniquitas mẽtientis. Non tantum ob id eas Deus mercede donauit quia ſeruauerunt mares: ſed quia Deum timuerunt. Si quidem nec omnino alienum eſt ab alienis, & barbaris, paruulis cõpati neque aliquando à feris. Timere autem Deum atque in eius gratiam peccatum odiſſe horruiſſeque homicidium, ſolis congruit fidelibus, vt ſæpius contingit. Timuerunt, inquam, Deũ in quem crediderunt, vt merces fidem quam op⁹ prius intueri credatur. *Quicquid maſculini natũ fuerit in flumẽ proÿcite, quicquid fœminei reſeruate.* Callo fraudis ſtudio apertam cladem inſinuat. Interim non ita graſſatur indiſcriminatim vt ſexui non parcat infirmiori, vt in maſculos ſeuiciam, laſciuię iungeret: quá in fœminas meditabatur pro futuro. Sed vt tandem finiamus. Quid eſt maſculos interficere, & fœminas reſeruare, niſi aduerſari virtutibus, & viciorum illecebris delectari? Relicta igitur huius noui Regis immanitate, ſuſcipiamus regem noſtrum Ieſum qui venit vt ea qua merguntur iniquitates: aqua tingamur ad gratiam.

* *Aug. l. contra mend.*

Homilia ſecunda.

EGreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui, accepta vxore ſtirpis ſuæ quæ concepit, &c. Humanę fragilitati ſatanicę fraudes periculo eſſe *Pſal.* 9.
non poſſunt diuina opitulante gratia, qua pau- 1.*Co.* 10
perum patientia fulcitur, quæ non peribit in finem, quoniam Deus faciet cum tentatione prouentum. Nō eſt igitur quo deſpondeamus animum, aut omnem exponamus aleam, ſi omnia haud noſtris votis ſuccedant, ſi infirmetur caro, ſi graſſetur hoſtis, ſi res familiaris pereat. Exemplo nobis erit Dei populus. Siquidem gratis laborabat, luto & lateri hærebat, oneribus premebatur, flagellabatur interdum, infantulis ad naufragium raptis deſtituebatur, id Satana Pharaoni ſuggerente quatenus inter cunas infantiū iam Chriſtus pateretur, auerteretur que diuinū propoſitum, quod tandem molimina Satanica ludit, quæ maximè aduerſus Dei honorem nituntur, vt ſublato ſacrificio per quod Deus colitur, vt ipſemet Deus obliuioni contradatur. Ob id orditur remedium à domo Leui: ex qua, diuina prouidentia exurgendum ſacerdotium nouerat, vt per eos operam luderet: quos ſummopere auerſatur. Quos dic quæſo, Satanas magis habuit ſibi infenſos quam ſacerdotes, quos ſupra omne hominum genus deteſtatur? Rebatur ille populum Dei finem habiturum, ſi omnes maſculos mors immatura inuaſiſſet, atque ſacerdotium deſtructum iri, ſimul atque ſacrificium. At egreſſus eſt poſt hęc vir de domo Leui.

Quid eſt egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Leui dum poſt hæc audis, velim intelligas diuinum remedium afflictionibus ſuccedere, perinde ac ſi dicatur. Videbatur ſibi Pharao rem proſperã egiſſe, & regni ſui commodo, innocentum nece prouidiſſe, nec tam immane factum culpari nõ putabat: quod ad tempus non ſenſerat puniri, ſed neſciebat ſecundum ordinem iuſtitiæ quod dominus facit vindictam electorum ſuorum ad ſe clamantiũ. Habuit Pharao tempus ſuum pa-
Luc. 18. ratum, dum populum Dei perſequeretur, pueroſque necaret, ſed poſt hæc non proſpiciebat aliud tempus implendum, quod patienter venit expectandum. Sicut Caym paratum tempus habuit, quo Abel trucidaret, ſed poſt hæc, tempus
Luc. 16. non videbat quo vitæ ſuæ reſiduo, maledicto fieret obnoxius: Diues epulo habuit hoc tẽpus dũ epularetur quotidie ſpeendidè, & micas eſurienti lazaro recuſaret. Sed poſt hæc latebat illũ tempus quo perpetuò in inferno arderet, ſitique perpetua laboraret. Poſt hæc, ergo dicitur vt afflictorũ ſpes, & eorum qui ad Deum prouocãt: non perire in finem doceatur. Nam ſi in hoc mundo ſperantes tantum eſſemus, facti ſumus miſerabiliores omnibus hominibus. *Poſt hæc e-*
1 Cor. 15 *greſſus eſt vir de domo Leui accepta vxore ſtirpis ſuæ. Quæ concepit & peperit filium.* Per filium ex tribu Leui ſumpturus erat dominus vindictam, qui de tali patre deſcenderat, qui iniuriam ſororis vindicarat Sichimitas interimendo. Congruum ergo fuit vt de tali patre proderet filius, per quem vlciſceretur dominus iniuriam non ſoli illatam

Sorori, ſed toti Dei populo & Eccleſiæ ſanctæ, quam conſpurcare moliebatur Pharao, non ſolum vt puellis reſeruatis ad libidinem vteretur: verùm vt laborum oppreſſione eo miſeriæ deduceret populum, vt tandem a Deo fieret alienus quod longè grauiùs eſt, quàm puellam violentia conſtuprare. Nec temerè illius Moyſi, per quem liberandus erat populus, infantilis commemoratur etas, vt quemadmodum manifeſtauit Deus patientiam ſuam & longanimitatem, cum pueri naufragio necarentur. Ita manifeſtet ſuam prouidentiam in talis pueri exordio, de quo dicitur. *Et videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus*. In Eſaya legimus, matrem non poſſe obliuiſci infantem ſuum. Sed iſtius matris, pueri elegantia inflammauit amorem, vt nedum ſuum dilexiſſe infantem, ſed eum diligendi cauſam habuiſſe comprobetur, non leuem ſed ſeriã, honeſtam, non turpem. Quemadmodum legitur Dauid dilexiſſe filium ſuum Amon, non quod morum elegantia præſtaret, ſed quia ei eſſet primogenitus, quod Dauidi magno probro erat qui accuratè ex ſcripturis nouerat Iacob filio Rubem primogenito non pepercilſe quem ſciebat primogenitum, ſed tres de fratribus in benedictionibus prætulit. Siquidem ipſemet, fratre ſuo Eliab primogenito, ceteriſque antiquioribus abiectis, cum iunior & abiectior haberetur ad regnum euectus eſt. Scio quidem omnes diligendos ſed ratione diuerſa, Interim. Nolim Moyſi elegantiam membrorum venuſtatem duntaxat exiſtimes, ſed in puero, boni

Eſa. 49

1. *Reg.* 13

Gen. 49

1. *Re.* 16

ominis ſanctę matri reuelata indicia ſic Rebeca,
Gen. 25. Iacob pia fraude fratrem ſeniorem ſupplantare (quod certò ſciret maiorem minori ſeruiturũ) edocuit. Sapientis enim matris eſt, non niſi explorata cauſa ſpeciali amore filijs hærere. Pueri igitur elegantia, matri ademit timorem, ne funeſto edicto puer ſuus fieret obnoxius. Sic virtutum elegantia , & morum integritas , iuuat Eccleſiam vt a vulgari murmure clerus ſeruetur abſconditus qui ita ſatagere debet, vt inter populares manens, tãquam ſi nutrix foueat filium ſuum habeatur. *Abſcondit tribus menſibus.* Nec prius exponitur pelago puer, quam aliquali ro-
Luc. 24 bore ſuccedanea ætas infantiæ ſolidetur , nemo enim ſupra vires agere venit cogendus. Ob id Chriſtus Apoſtolos per vniuerſum orbem effundi prohibuit, donec induerentur virtute ex alto. Quid enim ſunt aquarum gurgites & fluuiorum profunda;ac vento & procella intumeſcentes fluctus, niſi mundi diſcrimina, pericula animarum, quæ nemo ſulcare poteſt nuper natus, neophitus , & ex nouo adfidem accitus ? Tribus igitur menſibus abſcondamur neceſſum eſt, id eſt priuſquam negocia ſuſcipiamus publica quæ periculo non carent : tempus expectandum eſt opportunum, vt a matre quæ Eccleſia eſt, pelago expoſiti ventorum mendaciæ erroris, bitumine charitatis, in fragili corpore tanquam in fiſcellá ſcirpea agentes: declinemus incommoda. Alioquin,qui amat periculum pe-
Eccleſi. 3 ribit in illo, Demum. Tribus menſibus elegantem puerum mater abſcondit : ne illico flumi-

ne extingueretur. Quo docemur abſcondere ſi quid in nobis natum fuerit virtutis,ne faciamus iuſticiam noſtram coram hominibus vt videamur ab eis. Quia deprædari deſiderat qui thæſaurum publicè in via portat. *Cumque iam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine ac picè,poſuitque intus infantulum,& expoſuit eum in carecto ripæ fluminis.* Magis conſultum iudicans ſaluti totius domus ſuæ prouidere, quam proſpiciebat deſtructum iri ſi domi puerum diutius reſeruaſſet. Mulieris igitur prouide argumentum, fuit orbari puero : non parricidæ.Hoc facto inſtruimur virtutum opera non ſemper ſecretò perpetranda, maximè ſi puſillis ſcandalo foret. Re familiari abundas? Conſule indigentiæ pauperum, ita vt dextera tua neſciat quid ſiniſtra tua dederit.Nec tuba ante te canes. Scandalum oritur, quaſi nichil dederis? Tunc ſpectante populo medere pauperum neceſſitati,vt ſic lux tua luceat coram hominibus, vt videntes tuæ charitatis opera glorificent patrem noſtrum qui in cœlis eſt. Sic tamen elemoſinam expone in publico: vt bitumine charitatis lita:apud te maneat in occulto. *Expoſuit eum in carecto.* Vbi videlicet gramina aquis intermixta, celerem deſcenſum fiſcellæ præcluderent, ne plus deſiderato ad extremas,& incognitas tráſferretur regiones, ſpes quæ recuperandi aliquando puerum omnino tolleretur. Nùllius enim prudentis eſt cum præcipitatione meditari, maximè cum de periculo animæ agitur. Hæreditas (inquit ſcriptura) ad quam feſtinatur

Mat. 5. *Mat. 6.* *Mat. 6.* *Pro. 20.*

in principio, benedictione carebit. *Stante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei*. Vide ſororem maternæ pietatis conſortem, imo nec minus puero vtilem quam mater. Et vtinam qui nos maiore contingunt neceſſitudine vtpote paſtores Eccleſiæ, qui noſtri patres cenſentur, euentum noſtrorum periculorum conſiderarent, qui tantis infeſtamur tentationibus, hæreſibuſque vndique vallamur, vt (prohdolor) viſuri propediem ſimus, nō ſolum regnum gallorum deſtructum iri (quod olim totius Chriſtianiſmi videbatur ſtabilimentum) verùm totum orbem conturbandum, quod plus iuſto hęreticorum arrogantiæ conceſſum eſt. Ita vt maiori periculo exponatur deſolationis Chriſtianiſmus, quam vnquam Moyſes fuerit in fiſcella ſubmerſionis: quod nemo conſiderat euentum rei, nemo proſpicit quantum ſerpere conſueuit hæreticorum virus, interim non dubito quin ſorori ita iuſſerit mater: & quotidie iubet mater
Act, 20. Eccleſia paſtoribus, vt attendant ſibi & gregi. Nec mater Moyſi exiſtimenda venit, vt ita iecerit aleam, vt nichil diuinæ prouidentię crederet. Sed aut domo eius ab aulicis pro more circunſpecta edicti crudelis gratia, reportatus per ſororem puer per aliud trimeſtre: domi a matre aleretur. Aut ſicut contigit filia Regis miſerante, per ſororem mater accerſeretur mercennaria in pueri ſalutem. Sic igitur mater infantem ſuum expoſuit, non vt eius obliuiſceretur. Multomin⁹ domin⁹ noſter qui ſic nos aquis inſpergit afflictionis, vt vultum ſuum a nobis

non ſubtrahat quatenus miſereatur noſtri. Sic enim loquitur per Eſayam Prophetam. Etenim ſi mater oblita fuerit infantem ſuum, non tamē, obliuiſcar tui. *Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine & puellæ eius gradiebantur per crepidinem alvei, &c. Cernenſque in ea paruulum vagientem miſerta eius ait. De infantibus hæbreorum hic eſt.* Vide exordium victoriæ diuini propoſiti. Iam Pharao edixerat maſculos hæbreorum naufragio necandos, reſeruandaſque fœminas. Nunc verò non fortuitò, ſed domino prouidente paratur fœmina, cuius ope, maſculo ſuccurritur, & eius vitæ ſuffragatur: cuius Pater mortem & ſimilium quærebat. Quid nam Pharao decreuerat? Sane vt famulorum obſequio maſculi interficerentur. Quid è contra diuina ſanciuit prouidentia? Nimirum vt Pharaonis filiæ et comitate & compaſſione maſculus hic ſaluaretur, cuius miniſterio populus liberaretur primogenitis Ægipti vna nocte morte extīctis, & iā dudū enecati Hębreorū maſculi vindicarentur & eiuſdem mortis genere aduerſarij occumberent in mari rubro ſubmerſi, & naufragium naufragio compenſaretur. Per ægiptios Pharaone iubente aquis obrui iubebantur maſculi: per filiam eius eo ignorante, ne ſubmergatur maſculus ſubdicitur flumini. Pater graſſabatur, filia cōpatiebatur. De infantibus hæbreorum (aiebat) hic eſt. Quid putas in pectore reuoluebat filia? Rex vtiq; genitor meus eſt. Et carnis neceſſitudine, regni iura me manēt. Sed non eſt regum occidere (ſi maleficos exci-

pias) ſed conſeruare. Hæres igitur regni ſum, collega peccati iure eſſe non poſſum. Rei puniantur, non quia tales fore timentur, ſed cum tales comprobantur. Offenderint hebræi, interim quid poteſt ætas inualida? Quid eorum numerum pertimeſcit Pater, qui antequam adoleſcāt, fortaſſis ceſſurus eſt viuis? Si verò ne michi noceant futuris prouidet, malo carere regno, quā ſtabilimentum Regni innocentum cruore dedicari Filia quidem Regis ſum, ſed fœmina. Regni cupido vitā certe innocentū appeteret, ſed ſexus pron⁹ ad cōpaſſionem facin⁹ auerſatur, maximè iuſticia ſexum comitante. Igitur huic miſereor infanti, & ſi non quia infans hæbreorū, ſaltem quia infans, paruul⁹ & vagiens. Quis dubitat eā in iudicio ſurrectură, & patrē ſuum iudicaturā?
Sapie. 4. Nemo ſanè. Ex iniquis enim oēs filij qui naſcuntur teſtęs ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua. At ſi ad veritatem poſt typum, & poſt Moyſem ad Chriſtum accedere velimus, huc vſque Chriſtus pleriſque iacet
Heb. 2. ignotus. Quia nec dum videmus omnia ſubiecta ei. Multis vagit & paruulus videtur, illis nāque qui eius omnipotētię aduerſantur. Illis paruulus videtur qui eius corpus concludunt cœlo, vt cum velit ſimul in terra eſſe non poſſit. Illis paruulus eſt, qui eius auxilium quærere contemnunt, ſperantes in incerto diuitiarum. Nec poteſt inueniri a quoquam, niſi deſcendat vt lauetur. Deſcenſu humilitatem, lotione gratiam
Mat. 5. intelligas velim. Siquidem dicitur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Cui ſoror*

pueri. Vis vt vadam & vocem tibi hebræam mulierem quæ nutrire poßit infantulum. Conſidera toto-
ris religionem quæ non minus animæ conſulit quã corpori. Quid enim profuiſſet Moyſi hanc auram ex ſancto hauſiſſe populo, ſi alieno & ſacralego cultui fuiſſet addictus? Non vtique ſalutis periculo caruiſſet, ægiptio lacti commiſſus. Sane vt in prouerbio eſt. Educatio vincit naturam. Alioquin præſtantius fuiſſet paruulo in fiſcella mori, quam inde grandis factus Ægiptio cultu inaugurari. Nec tantum vocanda erat mulier hebræa, ſed quæ talis eſſet vt poſſit infantulum nutrire, vt hoc typo doceantur Eccleſiæ præfecti, ne puſillum gregem regendum ſuſcipiant, ſi lactis eruditionis extiterint ieiuni, lac vobis dedi (inquit Apoſtolus) non eſcam, *1.Cor.3.* nondum enim poteratis. Monemur inſuper, vt eiuſdem matris Eccleſiæ vbera ſugamus, a qua nos mundus ſepararat. *Adoptauit in locum filij vocauitque nomen eius Moyſes, dicens. Quia de aqua tuli eum.* Nec tunc in locum filij adoptauit quãdo de aqua tulit, ſed adultum, & a matre auulſum, vt nemo putet ſibi ſatis eſſe ſi dominus eũ tulerit de aqua, id eſt cum Deus eum de baptiſmate ſuſcipiens ſuo famulatui aſcripſit. Sed pro virili adniti debet vt hauſto fidei lacte, ſolidum doctrinę cibum deguſtare poſſit, vt paruulorum ordine tranſacto ad ordinem perfectorum euehatur, & ope ſpiriſuſſancti adoptionem filiorum Dei recipiat, ad quam Dei gratia peruenire valeamus. Amen.

infantulum

Sacrilego

Homilia tertia.

IN *diebus illis poſtquàm creuerat Moyſes, egreſſus eſt ad fratres ſuos viditque, afflictionem eorum.* Cenſendus venit ille beatus, quem a fraterna charitate temporarius fauor non remoratur, nec rei familiaris abundantia
Heſter 4 reddit inſolentiorem. Ob id Heſter regnum fœliciter contigit, quod ad imperium euecta
Ruth 4. Mardochęum patruum ſuum ſacco obductum non erubuerit, Booz rebus ſecundis abundans hoc honore habitus eſt, vt de ſua prole Chriſti proderet humanitas. Siquidem Ruth poſt terga metentium victum quærentem excipere non erubuit. Et vtique facilè crediderim Deum ad faſtigium non qualiumcunque ſed præcipuorum Prophetarum euexiſſe Moyſem, quod in purpura & ſericis educatus, populum Dei luto hęrentem, & aſſuetum verberibus non erubuerit. Chriſti typum gerens, qui non confunditur nos fratres vocare dicens. Narrabo nomen tuum
Heb. 2. fratribus meis. Poſt quam igitur creuerat Moyſes, id eſt ea ętate nacta qua poterat inſoleſcere, iam exutus pueritia [in qua filius nichil differt a ſeruo] & libertate arridente, fidei robore, mũ-
Gal. 4. di illecebras ſuperauit, & iam grandis factus ne-
Heb. 11. gauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. De Cayn &
Gen. 4. Iſmael pueritia nichil mali legimus, ſed creſcente ætate, alter fratrem occidit, alter verò fratrem perſecutus eſt: in vtroque ſubſcribente perfidia. Hic verò fide cum ætate creſcente, præter morẽ puerorũ qui coętaneos ſuos ſine delectu ſuſci-

piuntæiam verò viri facti vix conſanguineos dignantur intueri. *Ingreſſus eſt ad fratres ſuos*. Charitatiue viſitationis gratia. Sciebat namque fidem ieiunam, ſi bonis operibus deſtituatur. *Vidit afflictionem eorum*. Quam in corpore ſuſtinebant, nec minorem in corde patiebatur. Vidit, inquam, illorum afflictionem, quo ad compaſſionem abundantius moueretur. Hic doceantur velim Reges & Principes, ne ita ſoluātur delitijs, ne tanta intumeſcant ſublimitate, quin etiam ex induſtria aliquando mores eorum [qui publica negotia ſubeunt] diſcutiant, ne illorum iniuria, aut ſocordia, plus iuſto grauetur populus, & tandem prouocetur aut ad Regni defectionem, aut fidei & religionis contumeliam. Nam Neronis negligentia, Albini & Flori inſolentia. Iudæi ſuo exitio Romanū imperium contempſerunt, & de humeris ſuis excuſserunt. Nec video, cur noſtro infœlici ſeculo, tantas ſponſa Chriſti in terris patitur moleſtias, niſi quia Principes non vident, vt pote deliniti adulatorum obſequijs. *Abſcondit ſabulo*. Crediderim ſanè virum tam celebrem non coegiſse Ægiptium ſupremam dare pœnam, niſi cauſa interceſſiſset iuſtiſſima. Dolo enim (vt quibuſdam placet, thorum Hæbrei macularat, nec id ſatis eſse rebatur, niſi hæbreum percuſſiſset de tali ac tanta iniuria dolentem in corpore: quem in violato matrimonio læſerat. At moueri poteſt quiſpiam. Cum exiſtimaret intelligere quod Deus per manum eius daret populo ſalutem. Quî fit vt huc, atque illuc conſpiceret, priuſquā *Act. 6.*

gladium admoueret Ægiptio? Nonne qui male agit odit lucem? Verum quidem. Sed tunc extimuit non facti cauſa quod iuſtiſſimum erat, ſed ſcandali, quod poteſtas quam a Deo ſuſceperat, nondum innotuerat. *Abſcondit ſabulo.* Non ſine myſterio. Quandoquidem Sabulum ſterile eſt quo declaratur & oſtenditur in typo, Satanas ita mortuus & ſepultus; vt nulla eius reſurrectionis ad vitam fœlicem ſpes habeatur. Demum etiam eò docemur, vt qui moriuntur

Prou. 10 in Eccleſiæ & fidei perſecutione, ſabulum pro ſepultura habent, id eſt, memoriæ ſterilitatem, quia nomen impiorum putreſcet. Qui vero in eiuſdem confeſſione: terra bona ſuſcitandi aliquando ad gloriam, abſconduntur. *Quare percutis proximum tuum?* Si nemini liceat propriam vlciſci iniuriam inſcio magiſtratu, multominus in alterũ inſurgere vbi nulla cauſa intercedit. Nõ licet inimicum priuata licentia percutere. Cur igitur percutis proximum, qui tibi non ſolum neceſſitudine carnis, verumquidem & cultus, & fidei? Nefas enim eſt iurgio diuidi, quos par cultus connectit. Diſcamus igitur bonum operari

Gal. 6. maximè ad domeſticos fidei. *Nonne occidere*

Prou. 9. *me tu vis, ſicut occidiſti heri Aegiptium?* Qui arguit impium [inquit ſapiens] ſibi maculam generat, cui veritas ita exoſa videtur, vt magis eam tormentum quam ſolatium iudicet, neç ſibi quicquam conſultum credit, ſi propriç non arrideat ſententiæ, quem ſi contingat a ſapiente corripi, ſapientis virtutes ad litem nitetur reuocare. Dicebat ergo ille qui iniuriã proximo faciebat.

Nonne occidere, &c. id eſt. Carpis me quod pro-
ximum percutio? Num tu ipſe arguendus ve-
nis: quod heri occideris Ægiptium? Sed iuſta
occiſio iniuſtam non eluit percuſſionem. *Timu-*
it Moyſes, & ait quomodo palam factum eſt verbum
iſtud? Non timuit quod occiderit, vt pote qui
iuſtè occiderat, ſed quod occulta occiſio ad lu-
mē peruenerit. Nullū quidē in hoc homicidio
erat crimen, ſed ſpecie criminis non carebat, vt
interim doceamur pertimeſcere gladio manum
admouere vbi nullum intercedit ius. Dum vi-
rum tante authoritatis timuiſſe cernimus, non
quia Ægiptium occiderit: ſed quia poteſtatis
ſibi diuinitùs credite: nullum tunc ſpecimen ap-
parebat. *Audiuit Pharao ſermonem hunc & vole-*
bat occidere Moyſem. Infœlix ſane Regum condi-
tio quibus magis ad iracundiam, quam animi
tranquilitatem res deferri ſolent, ſiue adulandi
ſiue nocēdi cuipiam cauſa. Nam Sarre venuſtas
relatu famulorū Pharaonis, periculo impudicitię
exponitur, & Sibe mendacio nimiū Dauid cre-
dulus, Miphiboſeth innocenti rem adimit fa-
miliarem. Saul quoq; audito Doech, ſacerdo-
tes domini neci adegit indiſcuſſa cauſa. *Audiuit*
ergo Pharao hunc ſermonen & volebat occidere &c. *Gen.12.*
Non quidem odio homicidij vtique & ipſe *2.Re.16*
Pharao homicida erat, qui maſculos innocuos *1 Reg 21*
iuſſerat interfici, ſed quia populum Dei auerſa-
batur, ſuum quæ populum & impium cultum
pro virili protegebat. Conſidera rem diligenter.
Moyſes eius nepos reputabatur, ſed in Pharao-
ne zelus impij cultꝰ, adoptionis ſuperauit amo-

rē. Sed hoc noſtro infœlici ſeculo, tāta cernitur in Principibus ſocordia: vt ſanguis religionem longè ſuperet. Pharao, iuſtè Ægiptio interfecto ita in nepotem (ſecundum adoptionem) Moyſem efferbuit, vt eius appeteret vitam. Cur igitur non ſuccenſent principes, qui veram & antiquam iactant religionem in eos, quorū opera exuſta ſunt templa, miniſtrorum Dei multus imo nimius ſanguis effuſus eſt, collapſa fere religio, ſacramenta ingloria, niſi quia iacentis fidei & penè dixerim dormientis ſunt, qui ſibi ad hoc nati videntur vt ſui principatus vitam breuem ſolatio & voluptate trāſigere debeant? *Qui fugiens de conſpectu eius.* Mutat ſolum, iuſticiæ tribunal non declinans, cuius iudicio non dificile abſoluendus: ſed necem timens quæ ſolo auditu, & ſine examine facti parabatur. Quis enim iuſticię ſacramento inauguratus non abſolueret iuſticię defenſorē, & thori violati vindicem? Fugit igitur iam in ſe conſilium euangelicū exprimens. Cum vos perſequentur in vna
Mat. 10. ciuitate, fugite in aliam. Hinc docemur fugiendū, & quam improbè magiſtratui reſiſtendum, etiam ſi malus fuerit, cui rerum ſumma creditur. Et vtinam qui ſibi gratis euangelicam vitā vendicant, vltimas orbis terras peterent, quam falſa cultus cauſa in Reges catholicos furore
Deut. 13 effuſo niti. Quia qui poteſtati reſiſtit, Dei pote-
Eſa. 9. ſtati reſiſtit & ordinationi. *Moratus eſt in terra Madian, & ſedit iuxta puteum.* Madian nomine Chriſti & Eccleſiæ aduerſarius in Eſaya depingitur. Patria igitur pulſus Moyſes in Madian declinat

declinat,quia futurum erat vt Chriſtus a ſuis appetitus qui eum non receperunt,& contemptis Iudæis pro quibus aduerſus Ægiptium, id eſt dyabolum manus conſerüerat : declinaret ad gentes vt ab hijs ſuſciperetur in poſteris, quibus hactenus permanſerat non minus infenſus quam incognitus. *Et ſedit iuxta puteum.* Ex itinere laſſus. Sed altiora conſcendamus. Iudæus adhuc manet iuxta puteum,dum ſacrorum bibliorum gaudet voluminibus, quæ quid aliud ſunt *Cant.* 4. quam puteus aquarum viuentium? ſed nondum ſedit iuxta puteum, qui ex ſcripturis quas legit indeſinenter, nullam requiem animi, perfidia nouercante inuenit. *Et defenſis puellis adaquauit oues earum.* In hoſtem dominari, aut ab eo ſuperari : fortis eſt. Sed ſanam non mutare mentem, virtutis eſt non exiguæ. Moyſes namque defenſa innocentia periculo mortis non caruit, & tamen mentis conſtantiam pandit, dum pro *Ioan.* 4. ſeptem filiabus ſimile pietatis miniſterium vitæ periculo iterum exibere non pertimeſcit. Olim *Apoc.* 1 Chriſtus Moyſe deſignatus, vnam adaquauit Samaritanam, cuius inueteratæ libidi- *Mat.* 11. nis reſtrinxit ardorem. At Satana ſabulo defoſſo & eius capite eliſo ad gentes tranſiens, iam non vnam ſed ſeptem adaquauit, dum eccleſiam ſeptennario numero declaratā in Apocalipſi, exuberante gratia omni puteo profundiore perfudit, eiectis Paſtoribus, id eſt, contemptis legis *Act.* 13 peritis, qui volentes intrare in ſcientiam fidei prohibebant, intrare ipſimet recuſantes. Volebat Apoſtolus adaquare proconſulem Saulum,

quem prohibebat Barihęus mag⁹. Sed in Paulo ſuperuenit Chriſtus per quem, confuſo mago Paulus ita ouem adaquauit, vt proconſul Chriſtianus fieret. Vide vnius Moyſi vires, plurium paſtorum conatus & virtutes luſiſſe. At multò magis vnius Chriſti tam validum & efficax verbum eſt, vt nemo Philoſophorum, & ſapientum huius mundi inanium potuerit vnquam reſiſtere ſpiritui ſancto, & ſapientiæ quæ in Eccleſia tam potenter depromebatur, vt exordio Chri-

Rom. 1. ſtianiſmi iam fides annunciaretur in vniuerſo mundo, quæ pſeudopaſtoribus agentibus, errore & dolo hactenus tenebatur incluſa. *Hauſit aquam nobiſcum.* Bifariam fortitudinis ſuæ vſum exibuit, hoſtes abigens ne nocerent, & adiuuãs vt aquam haberent, quia nec facimus ſatis, ſi proximum ab iniuria liberemus, verum inopiã eius ſubleuemus pręcepto Dei obſtringimur, qui non ſolum vires Satanę ludit ne nobis noceat, verum & nobiſcum haurit dum animo diſcendi: addit donum dicendi, quia beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſticiam quoniam ipſi ſaturabuntur. Et nemo poteſt ſolus haurire, quia

Rom. 11. puteus altus eſt, adeò vt altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, incompræhenſibilia habens iudicia, humani ingenij vires longè excu-

Mat. 5. perat. Nec paſtorum quiſpiam adaquare grægẽ poteſt aqua ſapientiæ ſalutaris, niſi qui cũ Chri-

Ioan. 7. ſto haurit. Nemo autem haurit cum Chriſto, niſi qui eius humilitatem ſectatur: vt meritò dicere poſſit. Mea doctrina non eſt mea. Qui igitur ſectam introducit, vnitatem ſcindit, & contra

Eccleſiæ conſuetudinem cõcionatur ſolus haurit id eſt a ſemetipſo loquitur, & nullum commercium habet cum Chriſto, nec gregem adaquat: ſed necat. *Vocate eum vt comedat panem.* Qui dat operam vt grex Chriſti aqua id eſt ſapientia ſalutari refocilletur, dignus eſt cibo ſuo, & duplici honore proſequendus & quicunque laborat in verbo & doctrina, ſicque abigit pſeudopaſtores vt eos qui veritati cõtradicunt arguat. *1 Tim. 5*
Ad hæc. Erroribus cõfutatis ydolatriæ & latice baptiſmatis & doctrinę eluta Eccleſia, Chriſtus aſciſcitur, vt comedat panem, & nos cum eo veſcamur. *Tit. 1.* Et vocatur quidem Moyſes vt manducet panem, qui non fuerat vocatus vt adaquaret grægem. Quia vt nanciſcamur in baptiſmate gratiam ſola iuuat Dei miſericordia, atque prior gratia, nullo intercedente merito illabitur. At ea habita aſciſcere Chriſtum neceſſe eſt, & nemo illius conuiua cenſebitur dignus, ſi Chriſtum vocare neglexerit. Ob id ſtat ad mentes oſtium & pulſat vt ſiquis aperuerit: ſecũ cęnare cognoſcat. *Apoc. 3* *Heb. 6.* *Iurauit ergo Moyſes quod habitaret cum eo.* Omnis controuerſię finis eſt iuramẽtum. Quid eſt ergo quod Moyſes accitus ad manducandũ panem, iurat ſe cum inuitante manſurum, niſi quia Chriſti cũ Eccleſia ſine intercapidine perſeuerantia, auguſtiſſimi ſacramenti Euchariſtiæ perpetuò vſu confirmatur? Nulla enim operis ſecutura eſt mutatio, vbi de opere vel operis ſtabilitate: intercedit iuramentum. Porro iuſſum eſt legem Moſaycam ſeruari, ſed minimè iuratum conſtat, maximè ſi figuras ſpectes, quæ tẽ-

poris ſucceſſu elapſas nouimus. At verò,iurauit dominus,& non pœnitebit eum. Tu es (inquit ad filium) ſacerdos inæternum ſecundum ordi-
Pſa. 119 nem Melchiſedech,qui panem & vinum non victus cauſa:ſed in ſacrificiū protulit quod Chriſti
Heb. 7. ſacrificij typus & imago fuit. Et tunc igitur iuramentum fixum eſt vt Chriſtus nobiſcum maneat ſemperque nobis præſto ſit,vſque ad conſummationem ſeculi, quando figura panis & vini,vſque ad Chriſti carnis & ſanguinis veritatem peruenit. *Accepit Sephoram filiam eius vxorem.* Non eſt imputandum leuitati quod Ietro filiam ſuam vxorem Moyſi alias inuiſo & incognito quem conſpexit virtute refertum : quæ omnibus diuitijs longè optabilior eſt. *Accepit ergo Moyſes Sephoram &c.* In ſeptem filias concepta dilectio , ad vnicam terminatur , vt ex ſeptemplici ſancti pneumatis dono : vnica ſpectetur Eccleſia , cuius matrimonij ſacramentum in baptiſmo cœptum,in panis conuiuio, id eſt in ſacramenti altaris inſtituto completur.Cū panis in carnem & vinum in ſanguinem Chriſti tranſeunt. Et tunc matrimonium cum Chriſto & Eccleſia conſummatur: quando eius caro & ſanguis carni & ſanguini ſponſe, per ſuę carnis æſum & ſui ſanguinis potum: ſine turpitudine miſcentur. Et tunc typo ex figura Gerſam & Eliezer ex Chriſto & Eccleſia naſcimur,vt pote non in terris permanſuri, ſed tanquam peregrini. Siquidem Gerſam peregrinum ſonat, diuinum adiutorium in Eliezer exprimitur. Quo ad iuge , & cœleſte conuiuium euehi ſummopere

exoptandum eſt: vt panem beati & fœlices ſemper manducemus in regno Dei. Amen.

Homilia quarta.

M*Oyſes autem paſcebat oues Ietro ſoceri ſui.* Tanti præcij ſunt apud Dominum pij, vt nõnulli gloriæ pignore non caruerint, etiã priuſquam è viuis excederent. Stephanus protomartir inter ſaxa lætalia Chriſtum triumphantem cernit. In Apoſtolo, arcanorum Dei indago, mortem prçceſſit corpoream. Tres ex Apoſtolis aſſumuntur, qui niſi in transfiguratione conſpecto regno non guſtarunt mortem, vt in nouæ legis præconibus quam in Prophætis: diuinæ largitatis indicia non minora cernerentur. Quandoquidem pluſquam ſemel atque iterum patribus apparuit, quia eorum corda munda repererat. Nam inquit Chriſtus, Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt, vt pote qui mundi illecebris, & diuitiarum iactantia non ſordeſcunt, ſed ſeculi contemptu diuinam familiaritatem nacti ſunt, egentes, afflicti, anguſtiati, quibus dignus non erat mundus, quem zęlo iuſticiæ ſpreuerunt magno eorum commodo. Moyſes inter cœteros nobis exemplo datur, qui de principatus faſtigio, maluit mentis & animi integritate ad ouium deſcendere famulatum: quam vanæ dominationis titulum læſa iuſticia retinere. Porro regis iniqui obrutum declinans, diuinum meruit colloquium. *Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Oreb.* Qui populo ſibi credito benè preeſt,

Act. 7.
2.*Co* 12
Mat. 17
Criſoſt. ho. 1. *in Matheũ* 1. *pſ.*
Mat. 5.
Heb. 11.

nec perfunctorie ab externis reuocans, & ad interiora deſerti, id eſt ad occulta ſapientiæ Dei [quæ a pleriſque deſeritur] conducit. Is peruenit ad montem Dei Oreb, id eſt, montem ſuauem, ſiquidem Oreb ſuauem ſonat. Et mons ſuauis Dominus Deus eſt, ad quem huiuſmodi peruenit. Quia qui ad iuſticiam erudierint multos: fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates, & nullum ſuis obtutibus dignabitur dominus, niſi quem conſcendere montem cognouerit In cuius rei typum, ſiue ſpectes transfigurationem, ſiue beatitudinis declarationem, ſiue in cœlis aſcenſionem Chriſtus perfectos ſpectatores habuit. Quo docemur ſcientiam ſemitarū Dei nobis minimè defuturam, modo conſcendamus montem Dei vt ablato cordis velamine, & perfidiæ propulſata cæcitate contemplemur, non quidem quæ videntur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, eterna: *Apparuitque ei dominus in flamma ignis*. Moyſes admixtus Ægiptijs quaſi vigilabat, & idcirco vocem Domini in Ægipto poſitus non audiebat, ſed extincto ægiptio poſtquam in deſertū fugit, illic dum quadraginta annis deguit, quaſi ab inquietis terrenorum deſideriorum tumultibus obdormiuit: atque idcirco diuinam vocem percipere meruit, quia per ſupernam gratiam quanto magis ab appetendis exterioribus torpuit, tanto veriùs ad cognoſcenda interiora vigilauit. Cum autem apparet ei dominus in rubo non ſine myſterio, vocem diuinam flamma ignis præceſſit, vt igne charitatis parati: Dei orā-

Dani.12

2.Co.4,

Grego. 23 Mor. cap. 20.

culo ſoli cenſeantur apti. Nam Chriſtus, qui priùs cœpit facere, & poſtea docere, in flamma ignis id eſt in lucida exemplarique & feruenti virtutum conuerſatione ante innotuit morta- *Act.* 1.
libus, quàm os aperiret prædicandi gratia. *De medio Rubi.* Flamma legem, Rubo populum Iudæorum expreſſum habes. De medio rubi igitur *Eſa.* 2.
erupit flamma, quia iuxta vaticinium. De Syon exiuit lex, & verbum de Hieruſalem. Vox ergo de flamma, & in rubo flamma, & nichilominus flamma non erat noxia. Vrebatur enim rubus & non exurebatur. † Illoque myſterio figurante domino, quod illuminaturus ſpinas cordis nostri adueniret, nec conſumpturus erumnas qui baptizaret in ſpiritu ſancto & igni: vt gratiam tribueret, peccata conſumeret. *Et videbat quod rubus arderet, & non comburebatur.* In rubo ardente, & ſpinis obſito, ſpectes populum velim ſpinis vallatum, id eſt, peccatis nocentioribus: flamma tamẽ veritatis illuſtrari. Interim tamen rubus non comburitur, dum populus incaſſum verbum Dei ſuſcipiens, in peccatis veteraſcit. Aut populum Dei afflictionibus ardentem, non tamen ad nichilum redigendum. Nec ob aliud non comburebatur rubus, niſi quia dominus preſtò aderat. Quia qui Deum præſentem habet, nichil eſt quod ſibi nocere poſſit, etiam ſi tranſierit per ignem. Quid cauſæ fuit, quod tot myriades martyrum nulla tormentorum ſeuitia, nulla doloris acerbitate fidem negauerunt, ſed integritatem mentis ſeruauerunt? niſi quia dominus Deus cum illis in foueam deſcendit, &

† *Ambroſius lib.* 1. *de ſſo. cap.* 6.

in vinculis non dereliquit eos? Eccleſia noſtra etiamnum ſuas habet ſpinas, quæ in hoc mundo adhuc ingemiſcit, & viridantibus fidei ramis decorata, ſpinis non exuitur, quia ad finem ſeculi vſque, malos ſuſtinebit & mala pœnarum. Sed quamuis vndique valletur flamma perſecutionis iugiter, comburi tamen id eſt, ad nichilum redigi non poteſt, quam ex euangelio conſtat vſque ad conſummationem ſeculi ſociandam. Arſit populus in Ægipto, depreſſus oneribus, ſed comburi non potuit id eſt, deſtrui, quia quanto magis affligebatur, tanto magis creſcebat. *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Flammæ continuatio, rubique ardentis integritas, appropinquandi occaſionem Moyſi prębuerunt, & ad diuinum colloquium perueniendi, nec aliter plerique ad Deũ peruenerunt vt ad fidem conuerterentur, quàm ex conſtantia martyrum, quos in tormentis ex-
Collo. 1. poſitos viderunt adeò fortes & alacres & incõcuſſæ fidei minimè deſertores. Ea de re Apoſtolus gaudens in paſſionibus adimplebat ea quæ deerant paſſionum Chriſti. Sed quid deeſt paſſo Chriſto? Profectò vt hij pro quibus paſſus eſt, paſſionis ſuæ ſortiantur effectum, vt conuertantur & tandem ſaluentur. Qui conſpecto Apoſtolo, quòd lætanter pro Chriſto pateretur, aut fidem ſuſcipiebant, aut in fide ſuſcepta imitando Apóſtolum conſtanter perſeuerabant.
† Verumquidem ex rubo ardenti magna fuit viſio
Ambr. ipſi Moyſi. Sed viſio longè maior ex Apoſtolorum & martyrum eſt conſtantia. Quia † ani-

mum vincere, compugnanteſque leges carnis & mentis in vnum cogere immortalis cuiuſdem eſt viri, quem inferni porta non ſuſceperit ſed Chriſti virtus confortarit, in quo magna viſio eſt, & magnum myſterium quando Chriſtus in igne diuinitatis permanens, noſtræ carnis dolores, ſicut rubus ſpinas ſuſcepit. *Ne appropies huc. Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Calceamẽtorum ſolutio, locis ſacris indicabat exhibendam reuerentiam. Vnde Iacob eo loci dormiuiſſe erubeſcit, vbi innixum ſcalæ dominum conſpexit & angelos aſcendentes, quodque neſciſſet locum terribilem, & ſanctum. *Ne appropies.* Perinde ac ſi dicat. Vis videre quare non comburatur rubus? Noli feſtinare. Nemo enim repente fit ſummus. Ne igitur appropies Moyſes, ſufficiat eminus videre, quia qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur a gloria. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* id eſt. Non eſt tuum, qui mortalis es, diuinæ maieſtatis ſecreta rimari. Quomodo poteris ſuſtinere Dei præſentiam, qui erubuiſti præſentiam Regis Ægipti & fuga tibi conſuluiſti? Noſſe myſteria Dei, indecorum eſt, ſi te ſolum ſpectes. Quid proderit ſi in rubo ardente, & non ardore conſumpto, populum intellexeris flamma perſecutionis vallatum & a domino protectum, quandiu habes pedes calceamentis obductos? id eſt. Non potes diuinæ claritatis indagator eſſe, quãdiu mortem reformidas. Prothomartir Chriſtũ regnantem cum inter tortores mortem contẽneret legitur vidiſſe. Vis igitur miniſter eſſe?

lib. 1. de Cayn et Abel cap. 6.

Gen. 28

Pro. 25.

Act. 7.

diuini muneris? *Solue calceamētum de pœdibus tuis.* Calceamentum de pœdibus ſoluere,eſt omnem pauorem mortis de mente (quæ quandoque pede exprimitur) excludere. Solue igitur calceamētum vt qui fratrum liberationem hactenus mœtu mortis diſtuliſti, in poſterum a ſuſcepto officio non contingat retardari. *Ne appropies* Iuſtum eſt vt qui me erubuiſti a me erubeſcatis, fœliciter quidem feceras cum fratrem in Ægipto defenderes,ſed finem fuga labefactaſti. Vis ergo ad vlteriora progredi? *Solue calceamentum.* Quia te cenſeo vinculis mortalibus exuendum, ſi voluntarius fratrum defenſionem ſuſceperis, ne rurſum terrore calumniæ ab incepto reuoceris. *Ego ſum Deus patris tui Deus Abraham. Deus Iſaac & Deus Iacob.* Si ſolum terræ naturam ſpectes nil aridiùs,nilque ſteriliùs,vtpote quæ inanis & inculta perhibetur creata. Sed quæ clementia cœli, ac roris germanitate fructuū ferax eſt,benedicta cenſetur. Ne idcirco terræ, quæ paſcua prębebat pecoribus,Moyſes ſanctitatem miretur,ſanctitatis ſtatim monſtratur ratio, cū dominus dicit. *Ego ſum dominus.* Præſentia ſpeciali cuius, hanc terram ſanctam noueris. Ego ſum Deus,&c. Ante cuius conſpectum,mors iuſtorum corporea obliuionem non parit,quibus
Sapien.1 quidem olim apparui in fidei gratiam: & nunc tibi appareo quod patrum tuorum conſtantia fidei polleas. Scribitur enim. Apparet hijs qui fidem habeat in illum. *Abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum.* Fide comitante, quam Dei abundantior noticia de-

corat, profundior flectit humilitas. Siquidem ignoto etiamnũ myſterio adflammam properabat, noua illectus cupidine. Audita verò Dei voce, gradum figit. Et qui tantum calceamentũ iubebatur ſoluere, ad maioris humilitatis cumulum, erubeſcentiam addens, abſcondit faciem ſuam. *Non enim audebat, &c.* Crediderim hæc ſecum in abdito mentis reuoluiſſe. Indignus ſum huius terræ, limina terere, num multò indignior Deum aſpicere? Præſtant oculi pedibus, & ſi nulla pręſentia pedum ad terram ſanctam, quæ oculorum mundicia ad Deum? Non capio flammæ ardentis & non comburentis rationẽ, oculis immumdis diuinam rimabor viſionem? Abſcondam igitur faciem meam. Et quia fides ex auditu, audire ſatis ſit quid in me loquitur dominus Deus. Diſcamus hoc loco abſcondere faciem noſtram cum de ſacramento altaris agitur, quia cum ex euangelica veritate, & Eccleſiaſtica auctoritate certò ſcimus illic dominum adeſſe, ſatis ſit auditum ſacramento admouere, & non viſu curioſiùs inueſtigare, ſed abſcondamus faciem noſtram. Quia ſic * abſconditus Moyſes inueniri ſic demiſſus, magis mœrebatur a domino ſubleuari. Interim ad domini vocem nudare pedes & faciem abſcondere, eſt remota vanæ ſcientiæ cupidine, promptam dilectionem Deo exhibere: nullis mortalibus inuolucris obductam. Quia pes animæ amor eſt. Qui autem terram calcat ſpinis obſitam, aut ſcatentem ſtercoribus, aut lapidibus occupatam, calceos habeat neceſſum eſt, aut aculeis eius pungentur pe-

Rom. 10

Pſ. 84.

* *Rupert. in lib. 1. cap. 13.*

des,aut ſtercore ſordidabuntur : aut offendent
ad lapidem. Qui verò ambulant coram Deo, &
terram ſanctam calcant Eccleſiæ, Dei ſequentes
voluntatem, ſpecioſos habent pedes, id eſt, mentem
adeò mundam habebunt, quæ nec auaricia
ſtimulabitur, nec ſtercore luxurię inquinabitur,
nec ſcandalis lædetur. Lauandos pedes Petrus
Ioan. 13. Chriſto denegabat, ob id partem cum eo ſe nõ
habiturum audiuit. Lauari autem non poſſunt
pedes calcæis occluſi. Tunc ergo Moyſes ſoluit
calceamentum, quando plena obedientia populum
eduxit de Ægipto: non timens animoſitatẽ
Luc. 10. Regis. Sine calceamentis Apoſtoli ſupra ſerpentes,
& ſcorpiones (quibus Satanas ſignatur)
poteſtatem calcandi acceperunt, quod terram
ſanctam calcarent: id eſt Eccleſiæ obedirent. *Cui
ait dominus. Vidi afflictionem populi mei in Ægipto,
& clamorem eius audiui propter duriciam eorum
qui præſunt operibus.* Hoc ſolatio eriguntur, qui
in afflictionibus poſiti, videntur à Deo derelicti,
vt ab eo in precibus audiantur, videanturque.
Hęc enim viſio grande exordium liberatio-
Pſ. 118. nis eſt. Aſpice in me (dicebat Propheta) & miſerere
mei. Vocat Deus hunc populum ſuum.
Quo docemur ob id illum vidiſſe, quod etiamnum
populus eius eſſet. Et beatus populus, cu-
Pſ. 143. ius dominus Deus eius. Nec ſimpliciter populus
Dei verè cenſetur, quod affligitur: ſi in afflictione
non clamet ad Deum. Clamauit ad me
Pſ. 90. (inquit Deus) & ego exaudiam, cum ipſo ſum
in tribulatione, ne ſupra vires afflictus, mœtas
excedat patientiæ. Audiuit igitur dominus cla-

morem propter duriciam eorum qui præſunt, quia non relinquet dominus virgam peccatorũ ſupra ſortem iuſtorum vt non extendant iuſti *Pſ.* 124. ad iniquitatem manus ſuas. Nam eo fine venit Chriſtus in hunc mundum, vt eorum qui populo præerant ſupprimeret duriciam, vt pote *Mat.* 23. qui alligabant onera & importabilia ſuper hu- 1.*Ieã.* 5. meros hominũ, quia mandata eius grauia non ſunt. Tandem. Durus eſt qui præeſt, qui ad labores coactos mœrcede deſtituit. Et tantum nefas eſt, vt ad aures domini perueniat. *Et ſciens dolorem eius deſcendi vt liberem eum de manibus Aegiptiorum.* Scientia doloris, clamoris iuſticiam declarat: ne populus gratis clamare putetur. De- *Luc.* 10. ſcendi non aduentu progreſſiuo: ſed animo acquieſcendi petitioni miſerorum. Deſcenſum intelligas velim tempus, quo filius Dei incarnationis beneficio hominibus apparuit: qui tantos Regum, & Prophetarum clamores audierat, qui deſiderauerunt Dei filium videre, & non viderunt. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum vnigenitum, vt eos qui ſub lege erant liberaret, & eriperet de poteſtate tenebrarum, quæ longè atrocior eſt quàm onera Ægiptiorum. *Et educam de terra illa in terram bonam, & ſpacioſam.* Lex quidẽ Moſayca terra qui- *Gal.* 4. dem bona fuit, ſed non ſpacioſa, bona ſi cultum ſpectes, non ſpacioſa verò ſi pręceptorũ numerum & grauitatem conſideres, & obſeruantibus *Rom.* 7. eam exiguam mercedem quandoquidem bona temporaria ſolum promittebantur. Itaque lex quidem ſancta, & mãdatum ſanctum, & iuſtum

& bonum ſed adeò graue vt [ſi paucos excipias] nemo ferre potuerit. Terra verò ad quam Deus populum ſuum deduxit, eiectis Cananæis id eſt, Iudæis, Eccleſia eſt quæ bona eſt, paſſionis Chriſti exibite maiore virtute. Et ſpatioſa, ſiue ſpectes ſacramentorum auctum numerum, ſiue adimplendi pręcepta faciliorem copiam, ſiue vt tandem dicam, mercedem obſeruantibus promiſſam: quę vtique eſt vita ęterna. Terra illa igitur Eccleſiaſtica fluit lacte, & melle, quę ſua dulcedine nunquam deſtituitur, ſiue coniugatos, ſiue cœlibes diſpicias. Lac enim niſi coitu interueniente, non prodit (ſi beatam virginem excipias) quo matrimonio iuncti cenſentur. Melle verò, quod illęſa pudicitia fluit: cœlibes depræhenduntur. Lac ſine butiro, & mel ſine cera non habentur, vt vtriuſque dulcedo aut cibo, aut luminis fomento ſocietur. Quia de lacte pudicitiæ coniugatorum, butirum charitatis exprimitur: in pauperum ſolatium. De melle verò cœlibum, cera exemplaris vitę ad illuminationē hominum, vt lumbi continentia præcincti: manibus lucernas ardentes tenentibus non careāt. *Sed veni mittam te ad Pharaonem vt educas populum meum filios Iſrael de Aegipto*. Peinde ac ſi dicat. De principatus faſtigio, mei cauſa in hanc conditionem incidiſti vt oues educeres, ſed a cætero non eris Paſtor ouium: ſed populi mei Rector, & Doctor. *Veni mittam te.* Nemo enim a Deo mittendus eſt, niſi priùs ad Deum venerit, id eſt
Mat. 4. obedierit. Iam Chriſtus in typo loquebatur, qui Apoſtolos Moyſe expreſſos [ſiquidem,

Moyſes aſſumptus de aquis dicitur] vocauit, vt iam non piſcium, ſed hominum ſeu animarũ fierent piſcatores, & mitterentur non ad ſolum Pharaonem, ſed ad Reges & Principes, vt filios Iſrael non carnales, ſed filios promiſſionis (qui per fidem eſtimantur in ſemine) educerent de *Rom. 9.* Ægipto, id eſt de tenebris in lucem, vt filij Dei qui erant diſperſi in vnitatem fidei congregarẽtur, & ſimul charitate coaleſcerent. Et tranſacto *Ioan. 11.* diuinæ ſeueritatis Iordanæ menſa potirentur diuina, quæ in dulcedine omnibus parata eſt humilibus.

Homilia quinta.

Dixitque Moyſes ad Deum. Quis ego ſum vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægipto? Nichil arrogantia ſceleſtiùs, nichilque periculoſiùs, vt pote quæ nedum ad nefanda impellit, verumquidem ad ea quæ propriç induſtriç vires ſuperant, vt ſuperbus iniquitate apud Deum habeatur exoſus, & homi- *Luc. 14.* num ludibrio exponatur: quod voti & deſiderij impotẽs cenſeatur. Ob id Chriſtus vetat tur- *Iudic. 6* rim edificandam, cuius conſummatio ſumptuũ inopia impeditur. Ea de re virtutibus præditi, nichil arduum duxerunt aggrediendum, quod maior poteſtas non decreuerit: humilitate comite. Nam Gedeon audiens ſe populum a ſeruitute liberaturum, infimam obtexit familiam. *Mat. 5.* Dauid iam in Regem vnctus, ſe fore Regis Saulis generum admirabatur quod ſuo iudicio obſcura domo cenſeretur. Ioannes baptiſta hoc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

donatus munere, vt Chriſtum aquis tingeret, eo libenter temperaſſet honore, ſi replicatum pręceptum: ad obedientiam nō impuliſſet. Moyſes oblato ſibi hoc fauore, vt legatum pro Deo apud Pharaonem ageret, & populum liberaret: quaſi in ſtuporem verſus dicebat. *Quis ego ſum?* Ac ſi dicat. Grandi vitæ periculo, dū etiamnum Principatus honore donarer: vix vnicum de tyrannide vnius Ægiptij eripui, & michi fuga cōſului, quid igitur poſſum vt totam plebem educere valeam? Adhuc tum quorumdam fauore, & neceſſitudine protectus: extimui, quid illic poſſum, vbi fauor longa temporis intercapedine excidit? Qui operā luſi quaſi princeps, quid nūc poſſum, ouium paſtor, & ruricola? Hoc quidem Moyſes obtexit, non perfidia, ſed ſuimet contēptu timens oneri ſuccumbere, ſi ſuæ ſe credat imbecillitati. *Ego ero tecum.* Eos ſuo conſortio dignatur Dominus, quos nichil præſumere cognouerit inconſulto negotio: & Deo renitente.
Reg. 16. Nam receſſit ſpiritus domini a Saul, quod inconſulto Samuele holocauſta obtuliſſet, & rei familiaris cupidine, Agag regi peperciſſet. Nec ob aliud crediderim hodie Epiſcopos, & Doctores in hæreticis conuertendis inualidos, niſi quod dominum non habent ſecum, vt de poteſtate hæreſum [tenebris grauiorum] poſſint eripere quod turpia ſequuntur lucra, aut fœditate vitæ ſunt plebeculæ ſcandalo, aut ebrietate madent, ita vt per eos nomen domini blaſphemetur. Nihil igitur fieri poteſt inconſulto domino. Imo nec potuit in Chriſto eius humanitas

nitas ſine Dei verbo. Quo docemur, vt nobis diffidentes, iure cum Apoſtolo dicere poſſimus. Omnia poſſum in eo qui me cõfortat: *Et hec habebis ſignum vt miſerim te. Cum eduxeris populum meum de Aegipto immolabis Deo ſuper mõtem iſtum.* Ne arrogantiæ inſimularetur poſtmodum ab emulis. Sicut contigit, quando Chore, Datam, & Abiron moliebantur populum abducere. Signũ ſe dominus pollicetur daturum, vt promiſſo expleto liquidò conſtaret, in reducendo populo nichil temerè egiſſe. Id quidem impletum eſt, quando poſt aquam de petra Oreb bina virgæ percuſſione egreſſam, & deuictum Amalech, Moyſes edificauit altare: & vocauit nomẽ eius, Dominus exaltatio mea. Non enim legitur vſpiam in monte Oreb ſacrificaſſe domino. Hic mons ſane eſt [ad quem ſeuiente Iezabele in Prophetas domini] Helias ieiunus confugit. Hic mons Dei, cenſetur Eccleſiæ Catholicæ typus, in qua ſola quotidie ĩmolatur Chriſtus, deuicto Amalech, id eſt Satana, non ſine precibus quæ manuum extenſione conualuerunt. Quia Chriſtus in cruce extenſus exauditus eſt pro ſua reuerentia. Chriſtus ergo Moyſe cenſetur, qui vt in patris nomine veniſſe comprobaretur, in monte domino ſacrificauit, quando tradidit ſemetipſum oblationem Deo, in odorem ſuauitatis· Signum ſane tunc fuit quod miſerit eum pater, quando non ſibi placuit, qui non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius qui miſit eum. Iudas galilęus temerario auſu, ſuper populum ſummam rei aucupatus, ſe non eſſe a

Phil. 4. *Nũ. 16.* *Exo. 17.* *Heb. 5.* *Eph. 5.* *Ioan. 6.*

Deo miſſum, vt educeret populum de Romana
Act. 5. poteſtate expertus eſt, quando, eius ſacrificia,
Pilati gladio [ne fierent] cum ſuo & ſuorum
ſanguine commixta ſunt. Helias veritate ſacri-
3. *Re* 18 ficij, ſe non ſine Deo loqui comprobauit. Baal
verò prophetę ex ſacrificij veritate: falſi cultus
lętalem cenſuram ſuſceperunt. Non habent id-
circo hæretici vnde glorientur, ſi inſiſtendis
populis de Eccleſia peruigiles ſunt, qui ſeductos
de tenebris errorum eripuiſse, quaſi de Ægipto
iactant, & ſanè fruſtra. Quoniam in monte Dei
Oreb id eſt in Eccleſia: nec volunt, nec poſſunt
ſacrificare. Vereor eos recenſere, qui ingentem
plebem regendã ſuſceperũt, veriùs dixerim ro-
dendam, qui ſiue ad epiſcopatum ſiue ad quaſ-
uis Eccleſiarum dignitates (Deo inconſulto)
promoti, ſederunt tringinta annis, rebus paupe-
rum ſaginati, neglecto, imo cõtempto verendo
Chriſti ſacrificio, cum tamen ingenuus paſtor a
Pſeudopaſtoribus, non ſolum fide, imo etiam
vita & miniſterio veniat diſtinguendus. Nec ſa-
tis eſt Epiſcopo ſi concionetur, dum miſſarum
ſolemnia, pro populo cœlebrare neglexerit.
Heb. 5. Quia omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus
pro hominibus conſtituitur in hijs quæ ſunt ad
Deum, non ſolum vt euangelij ſit fidelis diſpé-
ſator, verùm vt offerat dona, & ſacrificia pro
peccatis, dona & ſacrificia inquam: ideſt, corpus
& ſanguinem Chriſti. *Si dixerint. Quod eſt nomen
eius. Quid dicam?* Hoc ſerui Euangelici munus
eſt, vt populo ſibi credito: nomen Dei prędicet.
Quandoquidem Ideo Chriſtus Paulum ad fidẽ

aſciuit, vt portaret nomen ſuum, coram gẽtibus & regibus. Hoc miniſterium Chriſtus ſe adimpleuiſſe dicebat patri. Pater (inquiebat) manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi. Verbi Dei tamen miniſter, diligenter proſpiciat, ne diuinam eſſentiam: quouis concludat nomine. Nam nominari non poteſt, quod nec menſurari, nec depingi, nec comprahendi poteſt. Si igitur naturam in Deo ſpectes, nullum venit nomen excogitandum. Si verò diuinos effectus conſideres, nunc Pater, Rex, Saluator, Iudex interdum Paſtor dicitur, vt comprobetur nomen eius cognoſcere: qui nouerit eius miſericordiam inuocare. *Quid dicam?* Illi ſilentio opus eſt, qui nichil depromere nouit, vel qui a ſeipſo loquitur: aut nichil accepit a Deo, vt dicat. Alioquin vertetur in vaniloquiũ quicquid dixerit volens ille legis doctor videri, non intelligens, neque quæ loquitur, neque de quibus affirmat. Qui igitur repellit ſcientiã, repelletur a Deo: ne ſacerdotio fungatur illi. *Ego ſum qui ſum ait, Sic dices filiis Iſrael. Qui eſt miſit me ad vos.* Sufficiat homini credere quia Deus eſt, qui eo eſt, quo potens, ſapiens, & bonus eſt, poteſt quidẽ homo eſse, etiam nulla aſſiſtente virtute. At ita eſſe Deus credendus eſt, vt ſi (quod fieri non poteſt] poteſtate, ſapientia, & bonitate careret: Deus eſſe non poſſet. Satis ergo habet vnde ſubleuetur, qui certò nouit ſic Deum eſſe vt nichil poſſit ei deeſſe: cui Deus preſtò eſt. *Dixit iterum Deus ad Moyſem. Hæc dices filijs Iſrael, dominus Deus patrum veſtrorum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus*

Act. 9.

Ioan. 17

1. Tim. 1

Iacob, miſit me ad vos. Iam pluriũ deorum cultus orbem inuaſerat. Ne igitur Deus quiſpiam recens exiſtimetur Moyſem miſiſse. Primum patrum eorum Deum ſe inſinuat, vt antiquam inculcet fidem quæ in Abele martyrio decorata, in Enos, & Noe, cęteriſque patribus ad Abraham vſque, creſcente in dies ydololatria, illibata perſeuerauerat. Et ſi omnium Deus, eſſe a nullo dubitetur, ſi inſipientem excipias, Deus tamen horum patriarcharum, dicitur Moyſem ad eos miſiſſe, vt paternæ fidei & ipſi hæredes facti, eorũdem patrum conſtanciam fidei, pœnes ſe, inter anguſtias retinerent: & diuinas expectarẽt promiſſiones. Quandoquidem fides Abrahę, Iſaac, & Iacob non ſine anguſtijs, ac patientia, diuinas promiſſiones fore complendas credidit. Inſuper hos patres commemorat, vt cum in populi mentem, venerit Abraham de Caldęorum & Ægiptiorũ ereptus periculo, de paleſtinis Iſaac, & Iacob de Sichimitarum infamia, & Cananeorum. & Phereſeorum pauore. Se quidem omni ambiguitate depulſa, crederent aliquando iugũ Ægiptiorũ excuſsuros, non in ſuorum meritorum gratiam, ſed promiſſionis Dei: & ſuorum patrum ingentis fidei. *Hoc nomen michi eſt inaternum. Et hoc memoriale meum in generatione, & generationem.* Et ſi multi ſint qui dicantur Dij, nobis 1.*Cor.* 8 tamẽ vnus Dominus. Nec venit nomine diſtinguendus Deus, vt pote quia vnus. Ob id igitur maximè nominatur, vt quandiu ſeculum durauerit, nulla beneficiorum Dei excidat memoria, vt non ſit quo animum deſpondeamus, ſi diſpi-

ciatur hæreſum virus in fidem moliri,& hæreticorum furor, luporumque rabies, multum ſit nobis cognoſcere memoriale Dei nominari, quod ipſe Abraham,Iſaac & Iacob Deus ſit.Nā hij teſtes viuunt inæternum,vt errantium hæreſes,afflictione populi Dei adumbratæ non ſemper duraturæ credantur.Et hoc ſolatio erigimur quod * mendacia non diu fallunt. Et Moyſi diuinā irā placanti, id ſuffugio fuit vt a Deo peteret quaten⁹ recordaretur Abrahā,Iſaac, & Iacob quia ereptio præterita malorum, futuræ præbet confidentiam. *Vade congrega ſeniores Iſrael.* Bonū nuncium primò ſenioribus nunciare iubetur, vt hijs edoctis,populus eorum famulatu inſtruatur, ſalutis quidem noticia, populo perquam neceſſaria eſt, ſed a ſenioribus id eſt Eccleſiæ paſtoribus,dumtaxat inueſtiganda,ſuſcipiendaque a populo, qui doctrinæ quantumcunque verè, credere non debet ſiñe ſeniorum aſſenſu. Imo ne quidem Regibus licet:Nam iubet ſacra ſcriptura, quatenus Rex ſuſcipiat librum legis de manu Sacerdotis,id eſt hæreat genuino ſacrę ſcripturę ſenſui, non quē ipſe(ob id quod poteſtate præſtat iudicauerit verū) ſed quē ſacerdos nomine totius Eccleſiæ [quæ errare non poteſt] legitimè probauerit,tradideritque.Cuius ſentētiæ nec Angelus etiam de cœlo deſcendens: refragari poteſt. Poteſt & quicquam ſimile in Apoſtolo deprehendi qui excuſſo Iudaiſmo, ſtatim poſt diuinam vocationem ſe non Apoſtolis illico iunxit, ne euangelium didiciſſe ab hominibus videretur, & crederetur. Nichilomi-

* *Ciprian⁹ epiſt. 3. lib. 1. ad Cornelium.*

Deut 17

Gal. 1.

Gal. 2.

nus ſecundum reuelationem aſcendit Iheroſolimam,& contulit cum Apoſtolis Euangelium, ne in vanum cucurriſſet,quaſi ſolitarius & a cæteris ſegregatus. Nec ſuſpitione hæreſeos carere poteſt: qui inconſultis paſtoribus, Eccleſiaſtē agit. Quandoquidem, & ſi Chriſtus ſolus redēptor habeatur: ſine quorundem cōſortio (quos elegit) Euangelium minime populo annunciauit: quorum tamen non egebat. Multominus id
Exo.18. congruebat Moyſi, qui roborato principatu, tametſi negotiorum peritiſſimus, regimen populi ſolus ferre non potuit ſtulto conſumptus labore. Et iubente domino ſibi ſeniores aſciuit. Nec dum ſeniores ergo aſſumere tantum iubetur, imo congregare in vnitatis typum. Nam ob id maximè non poteſt miſer popellus hodie Ægiptum relinquere, quod ſeniores Eccleſiæ non in idem coëunt votum. Qui & ſi fidei puritatē retineant, moribus tamen adeò contrarijs viuunt, vt populus adunari non poſſit: ea percitus occaſione. *Viſitans viſitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegipto.* Aliud eſt viſitari aliud videri, tametſi interdum alterum pro altero: indiſcriminatim capiatur. Viſitat autem dominus aut medendi cauſa, aut puniendi. Itaque viſitat aut vitia, aut virtutes. Incommoda verò temporaria, quæ plerumque gloriæ ſuffragantur, videt quidem & cognoſcit: viſitare tamen non dicitur, quod ea ex ſe nec mercede digna, ſi fides non aſſit, nec punienda veniunt ſi patienter tolerentur. Vbicunque ergo fuerit virtus, venit expectanda merces. Si verò vitium ſequi-

tur vltionis debitum. Grande ſolatium, quod videt Deus mala quę nobis accidunt. Id maximè poſtulabat Iheremias. Recordare, dicebat, domine, quid acciderit nobis: reſpice opprobrium noſtrum. At cauendum eſt ſummoperè, ne viſitati ab eo ad oſſiū medullas vſq;, digni malis iudicemur, quæ acciderunt nobis. Imo explorata diligentia prouidendum eſt, vt rectè dicere poſſimus. Benedictus dominus Deus Iſrael, quia non ſolùm viſitauit, verumquidem & fecit plebis ſuæ redemptionem, quemadmodū contigit populo Dei: de quo ipſe dicebat quod ſequitur. *Dixi vt educam vos de afflictione Aegipti in terram Cananai, & Ethai, & Iebuſai, & Amorrai, & Phereſai, & Euai, ad terrā fluentē lac & mel.* Cum ſubleuandæ inopiæ gratia Abraham, & Iacob legantur in Ægiptum deſcendiſſe, quid eſt quod de Ægipto liberandos pollicebatur filios Iſrael, & terrā abūdantem fructib9 ſe illis daturum? Nonne Ægiptus eſt irrigua, & fructuū admodum ferax? Sed ſi introſpiciantur myſteria, non temerè relicta Ægipto terram promiſſionis petere iubebantur. Quid enim aliud fuit tantarum rerum diſcurſus, niſi futurorum figura quæ non ex perſonis ſolum: verum & ex locis texitur, vt non ſit tantum Pharaonis ad Satanam: Ægiptiorum ad Angelos Satanę comparatio accommoda: ſed etiam Ægipti ad mundum, qui in maligno poſitus eſt, & terræ promiſſionis ad cœlum: aut Eccleſiam. Potuit igitur Dominus. Ægiptijs ſua terra pulſis, populum ſuum relinquęre in Ægipto tranquillum. Sed voluit eum

Tren. 5.

Luc. 1.

1. *Ioā* 5.

a quae habitatorem terræ eſſe, ſua conditione magis cœlum exprimeret. Sit irrigua Ægiptus, de terra tamen prodit illa irrigatio, de terra inquam, quia ex Nili fluuio cocodrilis vbere. Sed (in-
Deut. 11 quit Moyſes) terra ad quam ingredieris non eſt ſicut terra Ægipti, ſed montuoſa eſt, & campeſtris: expectans de cœlo pluuias, Nemo ambigit pleroſque hæreticorum, literis abundantes multiformibus, & verborum ornatu, eorumque in ſacris biblijs labores nominus indefeſſos quam vanos, & ſententijs quamplurimis refertos, & in decipiendis ſimplicium cordibus vafros, ſed quicquid opinantur, non de cœlo, ſed de ſubterraneis aquis, & lacunis putridis exhauriunt. Populus verò Dei expectat pluuias de cœlo, vt pote quæ fidem, & Dei mandata, & Eccleſiæ amplectitur, reiectis hæreticorum commentis, & mendacijs, quæ non niſi ex Ægipto id eſt ex principe tenebrarũ: qui Satanas eſt, pro-
Iacob 3. dierunt. Quoniam, vt inquit. D. Iacobus, ſi zelũ amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt enim iſta ſapientia de ſurſum, deſcendens a patre luminum: ſed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia primũ quidem eſt pudica &c.
Rom. 13. Deſeramus ergo Ægiptum, id eſt abijciamus opera tenebrarum, expectemus pluuiam de cœlo & induamus arma lucis, induti virtute ex alto: eiectis Cananæis .i. omnium infidelium, & hęreticorum generibus terram ſanctam id eſt eccleſiam, qua hij indigni ſunt, incõcuſſa fide poſ-

ſideamus. *Et audient vocem tuam*. Libenter hijs aures præbemus, quos nouimus proſpera nunciare. Si igitur populus Iſrael audierat Moyſem liberationem temporariam nunciantem, quid non debemus, dum euangelium prædicatur? Sed abſimiles huic populo ſimus neceſſum eſt, qui auditis quidem proſperis crediderunt, proſpecto tamen diſcrimine: reuocare gradum moliebantur. Nos igitur adeo delectet Moyſes id eſt, quiuis Eccleſiaſtes, non ſolum dum remiſſionem peccatorum annunciauerit, verumetiam cum pœnitentiam faciendam propoſuerit, ne cum reprobis pereamus, ſed ad terram ſanctam, id eſt, æternam gloriam perueniamus. Amen.

Homilia ſexta.

INgredieriſque tu & Seniores Iſrael ad Regem Aegipti & dices ad eum, Dominꝰ Deus hebræorum vocauit nos ibimus viam trium dierum in ſolitudinem vt immolemus Deo noſtro. Tanti præcij eſt obedientię ac fiducię robur ſubditorũ erga Reges, vt nullo fidei, ac religionis velamine veniat diſceſſio texenda. Quia qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Si verò Dei *Rom.13.* cultum rabies perſecutionis remoretur, telum quidem non aptetur, ſed mutetur ſolum. Si vos inquit Chriſtus, perſequantur in vna ciuitate, *Mat.10* fugite in aliam. Iam hoc magiſterium in typo populus Iſrael didicerat, cui ereptionis gratia, Regis etiam tyranni appetere vitam nõ licuit, ſed tantum fuga ſibi conſulere, Rege prius ſa-

lutato. Si enim Iſrael furtim fugam paraſſet quã anſam calumniandi præbuiſſet? Quandoquidẽ
Gen. 31. ob ſimile factum, Labã furti Iacob inſimulauit. Quales igitur Pharao expoſtulationes in populum Dei feciſſet, ſi eo inſcio migraſſet? Cum non ſolùm permiſſos egredi, imo iuſſos, illorum libertatis pœnitens, ad regreſſum niteretur. Iubetur igitur Moyſes cum ſenioribus ingredi ad Pharaonẽ, vt vocationem Dei intimet & dicat. *Dominus Deus hebræorum vocauit nos.* Q. D. Iuſtũ eſt: o Rex vt tibi mœreamus, penſumque & cenſum prębeam⁹, nẽpe maioris Regis ordinatione obſtricti, cuius gratia hactenus in luto, & latere & non ſine laborib⁹ perſtitimus, & verberibus. Sed qui nos tuo adegit iugo, id ab humeris noſtris nunc excutere dignatur, quod patienter tuliſſe quandiu voluit, debuimus: Vbi verò aliud decretum acceſſerit, non tibi videatur grauis diſceſſio noſtra, quę maioris te interuenit imperio. Nec cum dicitur Deus hebræorum, cæterorum Deus eſſe præcluditur: cum Deus ſit omnium. Sed eorum Deus maximè dicitur a quibus colitur & obeditur iuxta Prophætã. Beatus
Pſa. 143 populus, cuius dñs Deus eius. Qui autem Hebræi .i. tranſitores non ſunt, & diligunt mũdum & ea quæ in mundo ſunt, quemadmodum Pharao, & eius populus Deum non habet dominũ,
Rom. 1. quia nouit ſeruire creaturę: potius quam creatori. Qui verò non habent hic ciuitatem permanentem ſed futuram inquirunt. Hebræi ſunt,
Heb. 13. & a Deo vocantur. Erat idcirco Pharaoni grãde reprobationis ſpecimen, quod Deus non di-

ceretur Deus Pharaonis:quem terra,& regnum temporarium delectabat. Conſpice igitur euangelium tunc temporis modo quodam depictū. Populus laboribus & erumnis aſſuetus:vocatur a Deo,relicto Rege. Videte, inquit Apoſtolus, vocationem veſtrā fratres. Quia non multi ſapientes ſecundū carnē non multi potentes,non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes,& infirma mundi elegit Deus :,vt confundat fortia & ignobilia mūdi & contemptibilia elegit Deus:vt non glorietur omnis caro in cōſpectu eius. Interim exordium miſeriæ erat ipſi Regi diſceſſionis prænunciatio, perinde ac ſi ei diceretur. Iamdudum permiſit Deus populum ſuum in regno tuo degere vt illius exemplo cultum mutares,& vitam (qui ſacrilegus es) quemadmodum olim factū eſt, dum Abraham inter Chaldæos, & Loth inter Sodomitas, ad tempus manſerunt. Et ſicut illis cum hijs diutiùs manere non licuit. Nec nobis quidem licet,non quia populo Dei labores & conuicia non congruant nec quia afflictionis impatiens, ſed quia non poſſumus cantare canticum Domini in terra aliena , vt pote cum ob idolatriam non ſit præſto dominus. Nec ob aliud vxor fidelis poteſt marito infideli ſubduci , quam propter fornicationem , quæ nō ſolum carnis corrupione: ſed iniuria fidei formatur. Deus ergo hebræorum vocauit nos,non ea ratione dumtaxat , quod nos diris deuouiſti,nec afflictionis ſolius cauſa: diſcedere

1. Cor. 1.

Pſa. 136

videamur. Sed vt ſine timore de tua tirannide
liberati: ſeruiamus domino Deo noſtro. Quamobrem?*Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem vt immolemus Deo noſtro.* Iã terra regni tui polluta eſt,quia ſanguis ſanguinem tetigit,& inunda-
Oſee. 4. uerunt maledictum, & mendacium: & adulterium. Ideò lugebit terra tua, quia nullo ſacrificio celebrato: non erit in regno tuo qui veniat ad ſolemnitatem. Quod ſi cõtingat immolationem fieri (ſicut contigit in egreſsu) ingentem plagam,& extremam: regnum tuum experietur. Nam quid Dei beneficia pariunt (ſi fides non aſſit) niſi indignationis diuinæ cumulum? Immolauit & Cayn, ſed peiori cõditioni factus
Gen. 4. eſt & obnoxius, quod ſincerè non crederet, inuideretque fratri. Nunquid etiam & Pharao, & Ægiptij inuidebant populo Dei? Indigni ergo erãt: vt in terra ſua Deo immolaretur, nichilomin⁹. quod in Ægipto non immolaretur: miſericorditer cum Ægiptijs actum eſt,& Rege eorũ. Si enim vna ĩmolatione in vna nocte facta,omnes primogeniti mortui ſunt. Quid putas factũ fuiſset,ſi populus Dei quotidie immolaſset? Nec ab exitu erat immolandũ poſt vnam & alteram Diem. Sed [inquiunt] *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinẽ vt immolemus Deo noſtro.* Quoniã qui Ægiptum relinquunt.i. hæreſes, quæ ſunt opera tenebrarum, non debent ſtatim ad ſacrificium
Gen. 19 admitti, ſed priùs probari an eorũ ſincera fides, an verè reliquerint Ægiptũ. i. & corruptos mores,an admota manu aratro: reſpiciat retro,nec-

ne. Siquidem vxor Loth extra Sodomam periit, poſt tergum reſpiciens, & quam locus non læſerat, loci tamen memoria condemnauit. Quo docemur non ſatis eſſe egredi domum patris noſtri Satanæ cuius deſiderijs interdum afficimur: niſi eam obliuiſcamur. Et tam procul ab eius illecebris ſumus, vt ad eius regnum (quod Aegiptus ſpiritualis eſt) nulla ſit in nobis retroſpiciendi cupido. Ille autem viam trium dierum incedit vt immolet Deo ſuo, qui pro cõfeſſione fidei, pluſquam ſemel, atque iterum facta occũbere decreuit. Nam Chriſtus priuſquam Petro ſignificaret qua morte clarificaturus eſset Deũ, iam ter percontatus fuerat an ſe diligeret. Cœtero. Solitudinis nomine, monemur pro virili tumultum mundi declinare, cum orandi accedit ratio. Nam hac in re Chriſtus nobis exemplo eſt, qui etiam in medio foro turbationis expers, ſolitaria tamen loca orandi cauſa ſæpius frequentauit. Vnde monachatus ortum habuit, vt ſeruata fidelium vnitate: diſquirerentur ſolitudines, quibus diuinus fauor feruentior accederet, ſpreta hominum frequentia & ſeculi pompa: quæ Dei amicitiam plerumque diluit. *Ioan. 21.*
Sed ego ſcio quod nõ dimittet vos Rex Aegipti vt eatis niſi per manum validam. Vult Deus (inquit Apoſtolus) omnes homines ſaluos fieri: & ad agnitionem veritatis peruenire. Cum audis omnes neminem noueris excipi, tametſi non omnes ſaluandi ſint, vult inquam omnes ſaluari, qui nemini media ſalutis adimit, ne perditio ex Deo prodire videatur, qui non lætatur in *1. Cor. 2.*

perditione viuorum : quin potius per Prophe-
tam quaſi eiulans ipſe exclamat. Heus conſola-
Eſa. 1. bor de hoſtibus meis, qui inuito Deo pereunt,
& manibus, & verbis mortem ſibi aſciſcunt:
quam ipſe non fecit. Nouerat Deus Pharaonem
non emendatum iri : etiam patente veritatis via.
Nihilominus miſit Moyſem, qui non tam po-
puli liberandi cauſa, quàm Pharaonis ſaluandi
loqueretur, non ſegniter nec perfunctoriè, ſed
verbo fidei adhibendæ: indito prodigio. Nichil
igitur prætermiſſum eſt: quatenus cor lapideum
carneo cõmutaret. Quo docentur omnes euan-
gelici præconij Eccleſiaſtes, ne cuipiam verba ſa-
lutis ſubducant, etiam ſi nullum indicium con-
uerſionis comperiatur. Nam Cayn, & Iudas, ad
quos non ſpectat diuina electio, quoad fieri po-
tuit: affatibus diuinis potiti ſunt. Apud eos igi-
tur non deſiſtamus quod rectum eſt conſulere:
qui poſt noſtram admonitionem in vitijs perſe-
uerauerint. Quandoquidem & aquarum venę,
etiam ſi nullus properet ad aquas manant, &
ſcatebras emittunt, & amnes : etiam ſi nemo
bibat, nihilominus fluunt. Sic ſanè & illum qui
concionatur nemo auſcultet, oportet tamen
præſtare: quicquid illi dominus ſuggeſſerit. Si-
quidem hæc lex, nobis qui ſacri ſermonis admi-
niſtrationem ſuſcepimus, à benigno præſcripta
eſt Deo, ne vnquam quod quidem in nobis fu-
erit: facere defatigemur, vt pote. Ne vllo tem-
pore ſileamus ſiue ſit qui auſcultet, ſiue qui
Thre. 1. prætercurrat negligens Nam Iheremias qui ta-
cere decreuerat, quod ſermo Domini daretur

in opprobrium: igne exeſtuante in corde, & in oſſibus incluſo quem ferre non poterat, impulſus eſt, ne veritatis prædicatione temperaret. Iubetur idcirco Moyſes Pharaonem monere, *Heb.* 10
quem tamen ſciebat Deus minimè obtemperaturum, niſi per manum validam, in quam horrendum eſt incidere, in quam maximè incident qui agnitam auerſantur veritatem: cui minimè crediderunt, ſed conſenſerunt iniquitati. *Extendam enim manum meam & percutiam Ægiptum in cunctis meis mirabilibus quæ facturus ſum: in medio eorum. Poſt hæc dimittet vos.* Manus extenſionem, vltionem acerrimam Dei intelligas velim. Et extendi manus diuina dicitur: dum Rege percuſſo, à percuſſione tamen plebs Ægiptia nequaquam eximitur, quemadmodum dicitur. *Et percutiam Ægiptum in cunctis mirabilibus.* Quandoque diuina manus extenditur ad veniam: qua indigni ſunt, qui non aſpexerunt. Et ibi venia locum non habet, vbi manuum extenſioni perſecutio iungitur. Nec aliquando ad pœnam manum extenderet, ſi ad culpam non accederet: tantum eſt volũtatis conamen. At vbi tanta eſt præuaricatio: inde diuinę vltionis maior erumpit ignis. Percutit interdum Deus, ſed non ſemper extendit manum, quando ceptæ plagæ criminis accuſatio medetur, Vbi verò interuenit excuſatio aut defenſio in peccatis, tunc Deus effuſa indignatione: reo manum admouet. *In cunctis mirabilibus meis.* Deplorandę vitæ teſſera conſpicitur quando in improbos vindicta præter ſolitum dilabitur. Nam pueri mores in melius

expectantur commutandi, cuius correctioni ſolo flagro opus eſt. Si vero vltimo ſupplicio ? cenſetur vltra modum deliquiſſe. Ob id chore. Datan & Abiron, peccatorum menſuram impleſſe perhibentur, quod inconſueta morte interierunt. Illi ergo in Dei mirabilibus plectuntur: qui in ſuis mirabilibus Deum auerſati ſunt. Mirabile autem dicitur: quod naturę & conſuetudinis pretergreditur metas. Nemo dixerit peccatum mirabile, ſine quo vix hæc vita tranſigi poteſt, vt plus iuſto aut ſolito bibere, furari victus cauſa, fornicari oblata occaſione, occidere inuaſorem, Atqui detenta mercede, cogere ad labores, necare innocentes paruulos, quis nō dixerit mirabile? Et quia id fecerunt Aegiptij. Ideo percuſſit Deus eos in ſuis mirabilibus qui in facinora inſolita, animaduertit inſolitis plagis. Si igitur bellum oriatur, graſſetur hoſtis, grauet febris, annona manca contingat, quis mirum dixerit? Aquam vero cruore cōmutari, ranis loca impleri domeſtica, & demum inter tot hominum milia, ſolos enecari primogenitos: nemo ſine admiratione videbit. Quis ergo ad tam inſolitum vlciſcendi genus non obſtupeſcet? Hoc loco docemur rugatis frontibus ad inſolita Dei flagella expaueſcere. *Poſt hæc dimittet eos*. Dimittet quia plagis ſuperabitur, quia non relinquet Dominus virgam peccatorum,
Pſ. 124. ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas: perciti ſcilicet impatientia. Nam quoniā nouit dominus hominū figmentum, qui niſi ab eo roborentur, non habent

bent ex ſua conditione: vt in tentatione diutius ſtabiles perſeuerent. Et ideo cum ea facit prouentum: vt ſuſtinere valeant. Certum eſt Apoſtolum a Deo confortatum fuiſſe, vt nil tam graue potuerit eum ſeparare a charitate Chriſti: veruntamen, atrocitas perſecutionis in Aſia, viuendi tedium ei peperit. Siquidem ſeuiente Antichriſto, non fieret ſalua omnis caro: niſi eius dies breuiarentur. Sic prouidente Dei miſericordia, qui Eccleſiam Dei per trecentos annos vexauerunt, miſſos quandoque fecerunt Chriſtianos. Quo docemur, ſeuiendi poteſtatem a ſolo Deo eſſe, tametſi voluntatem perſequendi nemo niſi a peccatoribus eſse dixerit. Ad hæc. Non eſt quo animum deſpondeamus, ſi aduerſarius graſsetur, cum dominus eius poſſit ludere poteſtatem, quam ad electorum probationem ad tempus permiſiſse perhibetur. *Daboque gratiam populo huic coram Aegiptijs.* Plerumque cõtigit, vt qui ſpreto Deo, mundi gratiam & fauorem venantur, vtrique tandem, & Deo, & mundo habeantur exoſi. Id enim in Abimelech cõpletum nouimus, qui regnandi cupidine, fauore hominum fretus ſeptuaginta fratres ſuos [vno dempto] occidit, quem tamen inde adeò ſunt deteſtati vt ab hijs, armis laceſſitus, tandem ignominioſè interiit, Iudas relicto Chriſto, blanditur Phariſæis, demum laqueo ſibi mortem cõſciuit, vt pote a Chriſto ſeparatus, & a Phariſæis contemptus: quod ſuæ proditionis pœniteret. Qui vero in Dei gratiam, mundum auerſatur [Deo interdum ita diſponente] apud homines

Mat. 27

Tyranni Eccleſiæ aliquando tempe rarunt a perſecutione.

Iud. 9.

Mat. 27

bene audit: etiam a quibus impari cultu ſeparatur. Nam Hethei principes, addicti idololatriæ,
Gen. 23. ius ſepulchri Abraham conceſſerunt: quaſi in-
Thob. 1. uiti præcium ſuſcipientes. Tobias Dei cultor: impium Salmanaſarem ſe muneribus honorantem, expertus eſt. Ob id, quoniam odium Ægiptiorum populus Dei patienter ſuſtinuit: vertit dominus odium illud in amicitiam. Quo docemur, dilectionem Dei ſuper omnia deſiderandã. *Et ſpoliabitis Aegiptum*. Nemo furtum dixerit quod Deo conferente poſſidetur. Nec furti inſimulandi ſunt qui mutuo accepta, perpetuò detinent: quando caſſos labores exhibuerunt, communi mutuantium commodo. Nam honeſtum eſt cenſendum: quod Deo factum eſt præcipiente. * Et ideo pulchra fuit admodum Hebræorum aſtutia Ægiptios decipientium, ac pro opere ædficatarum vrbium: præmium ſuſcipiẽtium. Id quidem lucri, ex afflictionibus reportarunt. Et qui Ægiptum relinquunt id eſt paganiſmum, aut heræſim dediſcunt, eo tantum ſtudeant onuſti prodire, vt præter aurum veritatis, & argentum eloquentiæ: nichil impuritatis ſe deſideraſſe commonſtrent. Nec vera dogmata, dicendi venuſtatem ab infidelibus mutuare indecorum eſt: ſi pietati non obſint. Quandoquidem vaſa ſunt literæ paganorũ quibus diuin⁹ liquor hauritur Et veſtes Aegiptiorũ aſportãtur, quando exemplũ continẽtiæ ab infidelibus ſumitur. Siquidẽ veſtibus, humanus operitur pudor. Quid enim nocet fideli, ſi infidelis exẽplo caſte vixerit: qui ab eius impietate nõ polluitur?

** Baſilius in Principiũ prouerbiorũ*

Imponendaque hæc ſunt ſuper filios, & filias a patribus vt morum, & operum honeſtate mutuata, ad nutum patrum gaudeant filij, & filiæ, nec ſine illorum auſu quicquam præſumant. Sed age vt tandem finiatur. Tunc aurum, & argentum ab Ægiptijs petimus vnde tabernaculū Deo fabricemus, cum prophanos & philoſophos legimus: vt diuinam ſcripturam ſapientius, & facundius, rimemur. Nullum tamen dubitare reor in tabernaculi diuini gratiam, populum Dei de Aegipto attuliſſe aurum, & argentū. Sed diuinis beneficijs obliuione ſepultis, prius ea conflando, vitulo exhibuerunt, malo quidem ſuo, non quia expenderunt: ſiquidem ocioſum eſſe non debet, ſed quia impuro cultui dedicarunt. Quo docemur non nocere aurum, nec argentum, ſed vſus indebitus: quo fornicator, & immundus, aut auarus, idolorum ſeruituti deuincti ſunt.

Homilia ſeptima.

R*Eſpondens Moyſes ait. Non credēt michi, neque audient vocem meam. Sed dicent. Non apparuit tibi dominus.* Omnis verbi diuini adminiſtrator pro virili adniti debet, ne cum alijs prædicauerit: operam ludat. Id quidem timebat Apoſtolus qui dicebat Galatis. Timeo vobis, ne ſine cauſa laborauerim in vobis. Nec ob aliud Ionam fugiſſe exiſtimo, niſi prædicandi timore, & ne peteret Niniuem: atque timens quod ſibi non crederetur. Quis agricola ſponte cineres ſulcaret, vt in illis triticum ſpargeretur? Non eſt

1. Cor. 9

enim tam ineruditus artifex, qui libenter vanũ laborem non declinet,& ſui operis fructum nõ videat. Sic omnis Eccleſiaſtes videns plebem paratam incitatur eius animus imo delectatur: vt doceat. Sinminus, erubeſcit, & confunditur. Quis inter Apoſtolos libentiùs prædicauit quã
Act. 13 Paulus? Iudæis tamen contradicentibus,& blaſphemantibus: Euangelium ſubduxit. Hoc ſummopere timebat Moyſes. Ideo dicebat Deo mittenti. *Non credent michi, neque audient vocem meã.* Sana Moyſi oppoſitio, vt pote quæ non ex diffidentia prodibat: ſed ex præuiſa Iudæorũ duricia, Si enim (vt ſequentia indicant) poſt tam admiranda ſigna rebelles extiterunt, quomodo crediſſent nuda verba promenti? Verum quidem a principio audierunt, & proni adorauerunt, ſed poſtea non acquieuerunt propter anguſtiam ſpiritus: & opus duriſſimum. Moyſes ergo prouidus, non quidem ſibi, ſed populo conſulens, verbum quidem portare non diſtulit, ſed ſignis obfirmatum: quod placidè tulit Deus *Quid eſt* [inquit Deus] *quod tenes in manu tua? Reſpondit. Virga.* Cum Moyſes Aegiptum deſereret, fugeretque a facie Pharaonis ob necatum Aegiptium, gladio muniebatur. Cum verò eandem repetit patriã virgam tantum in manu tenet, qua intrepide, non Aegiptium tantum: ſed totam deuincit Aegiptum. Non ob id ſimpliciter quod virgam teneret: ſed quia iuſſio diuina vrgebat. Gladio, magno ſuimet periculo vnicum Aegiptium confecit: magis furorem Regis accendens. Virgam autem

tenens, regias, & armatas manus non pertimuit: ſed eliminauit. Quia elegit Deus infirma, vt confundat fortia: vt non glorietur omnis caro, in conſpectu eius. Omnis ergo paſtor, 1. *Cor.* 1.
& diuini verbi adminiſtrator, quem percuſsorē eſſe non oportet: iubetur gladium in vaginam recondere. Nam ſedes Chriſti quæ in ſeculum *Ioan.* 18.
ſtabit, non quidem eſt gladius rorans ſanguine, ſed virga directionis & regni ſui, quam virgam *Heb.* 1.
æquitatis appellat Apoſtolus, qua ſola armatus Chriſtus: inſoleſcentes templo deturbauit. Plerique eidem tēplo vim intulerūt & luſerunt conatū, quod hac æquitatis deſtituerentur virga. *Mat.* 21.
Non temerè igitur virgam in manu ſua portat Moyſes præco Dei, quia non poſsunt multum prodeſse verba veritatis, ſi manus doctoris: æquitatis virga fuerit deſtituta, vt non ſolum habeat dicendi peritiam: verumetiam & prædicādi auctoritatē. *Proijce eam in terram. Proiecit & verſa eſt in colubrum.* Qui legitima poteſtate prædicandi Euangelium donantur: rectè habere in manu virgam perhibētur. Si verò prohpudor illectus lucri cupidine hominibus placere deſiderat, is in terram, virgam proijcit, quando ſpreta æquitatē Deum deſerit: & veritatem mendacio commutat. Interī. Quod per Moyſem in figura fieri licuit reipſa illicitū fieri cēſetur. Si quidē tali ſpecimine a Deo edoctus eſt Propheta, vt in terram virga proiecta: in ſerpentē prodiret nil aliud ſequi: quā poteſtate legitima prædicandi proiecta ad nutū moueatur coluber .i. hæreticus temeritate ſumpta non quidē prædicandi, ſed ſeducēdi

locum habeat. Nam Propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda, & ab eo (docente Apoſto-
Tit. 3. lo) pedem reuocare neceſſum eſt, iuxta figuram ſicut dicitur. *Ita vt fugeret Moyſes.* Tanquam a fa-
Eccl. 21. cie colubri fugiendum eſt peccatum. Vide emphaſim rei geſtæ, Moyſes virgam ferebat in manu, & illi aliquando innitebatur quę erat illi auxilio, ſed mox verſa in colubrum, ab eo deſpicitur, fugit a colubro: quæ virga fuerat effecta. Hac figura edocti, nulli ſimus tanta carnis neceſſitudine iuncti, a quo fugiendum non ſit, ſi relicta rectitudine fidei, colubri conditionem induerit. Core, Datan, & Abiron, portauerunt quandoque virgam, dum obedientiæ ſemitam ſequentes: a rectitudine virgę non recedebant. Sed ea proiecta, colubri facti ſunt: a quibus diſcedendum monebat Moyſes, dicens. Recedite a tabernaculis virorum impiorum: ne inuoluamini in peccatis eorum. A talibus fugere habent præceptum, hij quibus extendendi manum: nulla collata eſt poteſtas. Qui autem gla-
Nu. 16. dium portat miniſter Dei effectus: manum extendat neceſſum eſt, audi enim quidnam dixe-
Rom. 13. rit Deus Moyſi. *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius, extendit & tenuit verſaque eſt in virgam.* Perinde ac ſi dicat dominus. Fugiendum quidem eſt, ſed non tibi: quem Deus iuuare decreuit. Quod ego facio, neſcis modo: ſcies autē poſtea. Siquidem, Pharao ſerpens eſt, antiquum Satanæ telum, inſidiatur calcaneo populi mei id eſt ætati vltimæ mundi proſpiciens, paruulos aquis necari curauit, vt inter eos, filius Dei qui

naſcendus erat: extingueretur, & tandem propoſitum meum auerteretur. Sed non eſt conſilium,non eſt prudentia contra me. Voluit ſapienter opprimere populum meum, ſed apprehendam talem ſapientem in aſtutia ſua cuius conatus permiſi exordia: nempe vt oneribus populum meũ præmeret, adimeretque infantulis vitam. Igitur apprehende caudam huius ſerpentis, quia futurum eſt vt in manu tua cõcludatur cauda ſerpentis id eſt condictum Pharaonis, ne effectum ſuum ſortiatur,ne populus meus vltra vires tentetur: ſed faciam cum tentatione prouentum. *Vt credant (inquit)quod apparuerit tibi dominus ac ſi dicatur Moyſi.* Non eſt opus tibi ſignis,nec portentis,vt pote qui fide iam grandis factus: negaueris te eſſe filium filiæ Pharaonis. Aptè igitur dictum eſt vt credant, non vt credas, quoniam in eorum gratiam aptantur ſigna: alioquin minime neceſsaria. Age.Perpende ſingula.Verus miniſter Dei Moyſes comprobatur, cum virgam in colubrum factam auerſatur, & tandem iuſsus:apprehendit caudam. Quo docentur hij qui rerum ſummam tenent,vt deſertores æquitatis auerſentur, nullum cum eis habentes commercium: etiam ſi parentes, aut amici ſint qui deliquerunt. Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial? ob id iubet Apoſtolus, vt cum fratre ambulãte inordinatè:manducare nõ liceat. Nam Propheta a leone necatur, quod Deo prohibente, in regno Iſrael (quod tunc idololatria pollutum erat) comederit. Improbi ergo magiſtratus ſignum eſt apertiſſimũ, quan-

Prou. 21

1 *Cor.*10

2.*Co.* 13

3.*Re.* 13

do cum hæreticis contubernia aucupantur,& in
eorum,gratiam, cõniuentibus oculis indies ac-
creſcere hæreſes cernunt, interſunt quandoque
concionibus eorum, qui temerario auſu præ-
dicandi libertatem vſurparunt, & videntes om-
Apoca. nia inuerſa, ſacramenta conſpurcata: domini
12. Dei vices non deflent. Apprehendatur igitur
cauda ſerpentis,ne trahat ſtellarum bonam par-
tem,ne dicam tantum tertiam. Nemo enim ve-
Ioan. 10 rus paſtor debet cenſeri,qui viſo lupo fugit, ſed
qui ponit animam ſuam:nec corpus occidẽtem
timet.Alioquin,non quærat fieri Iudex,niſi va-
*Eccle.*10 leat virtute irrumpere iniquitates. Nec video
cur cauda ſerpentis,huc vſque remãſerit libera,
niſi quia apud nos nullus ſit Moyſes,qui iuſſio-
*Exo.*32. ni pareat: vt apprehendat illam caudam id eſt
vt finem imponat hæreſibus, Capite quidem
ſerpentis,tyrannis ſignatur:cauda vero, hæreſis
non incongruè cenſetur. Nullus eſt, inquam,
Moyſes,qui hodie ægiptum perfectè reliquer-
rit,& qui Chriſtum ſupra parentes diligat:vt cũ
Moyſe rectè dicere poſſit. Si quis eſt domini
iungatur michi,& vnuſquiſque occidat fratrem
ſuum, & amicum ſuum, & proximum ſuum,
ſcilicet quem certo cognouerit vitulum adoraſ-
ſe. Ipſe ſiquidem Moyſes imprecari non horruit
Core conſobrino, vt cum cæteris ſuæ factionis
complicibus complacibus: hiatu terræ abſorberetur. Hoc
ergo indicio verus miniſter Chriſti comproba-
tur cum pro virili, ſerpentis graſſantis vires re-
primens, ad æquitatis regulam corda fidelium
flectit. Verumquidem, hoc maximè in Chriſto

completum eſt,qui non tantum caudam, imo-etiam caput tenuit ſerpentis id eſt Diaboli, in cuius rei typum poteſtatem dedit Apoſtolis ſupra ſerpentes,& ſcorpiones calcandi: illęſis pe- *Luc.* 10.
dibus, & ſupra omnem virtutẽ inimici: ipſe eſt ſanctũ ſemen: quod caput ſerpentis contriuit. *Dixitque dn̄s rurſum mitte manum tuam in ſinum, quam cum miſiſſet in ſinum protulit leproſam inſtar niuis: retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum, re-* *Mat.* 17.
traxit & protulit iterum & erat ſimilis carni reliquæ. Quandiu eſt in ſinu manus, incolumis perſeuerat,protracta vero: lepra inficitur. quia niſi mẽti *Mat.* 23
opus hæreat,quod manu cenſetur,leproſum apparet,& album inſtar niuis, non quidem vt nix quemadmodùm Chriſti veſtimenta facta ſunt alba in transfiguratione, Cum ergo inſtar niuis audis, & non vt nix, meram laruam candoris intelligas velim. Nix ſiquidem de cœlo candorẽ habet,non ex hominum artificio. Illius ergo opera alba ſunt inſtar niuis quæ ſpecimen habent pietatis, exuta tamen virtute ſunt: cuiuſmodi erant opera Phariſæorum, qui manum protrahebant de ſinu,quia omnia opera ſua faciebant: vt viderentur ab hominibus. Vis ſcire manum eorum leproſam? Audi Chriſtum dicentem, ve vobis ypochritę, qui eſtis ſimiles ſepulchris dealbatis, quæ a foris patent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum: & omni ſpurcitia. Nix non alborem tantum promittit a foris: verumquidem quauis parte. Manus autem quæ leproſa prodibat alborem oſtẽdebat ſi ſuperficiem ſpectes,ſi interna ſcruteris,

lepræ externæ apparentis: cognoſces originem
Mat. 6. latentem. Sic ergo manum tuam in ſinum retrahas neceſſum eſt, vt clauſo oſtio depreceris, vt elemoſinæ pauperi largiende, nullum ſit tuba canente opus: ne facias tuam iuſtitiam corã hominibus, vt videaris ab eis. Eo certe noueris verum populi Dei protectorem, qui ſtricta ſerpentis cauda id eſt qui hæretica prauitate depreſſa, ad verum, & ſalutarem operũ vſum: nouerit prouocare, exemplo Chriſti qui nõ ſolum ſtipiti, verumetiam radici ſecurim admouit, vt vanum ſit manum cohiberi: ſi animus non tem-
Mat. 5. peret malo. Quid enim prodeſt neminem occidiſſe, quẽ odio proſequimur, aut fornicationi corpus ſubduxiſse: ſi in fœminam oculos impudicos fixeris? leproſum eſt quicquid extra fidem feceris, quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt id eſt contra fidem. Interim, me-
Rom. 14 morię non excidat, quod Moyſes primum legitur de ſinu manum extraxiſse: & tunc manus leproſa apparuit. Sed iterum eam proferens oſtendit incolumen. Quandoq; enim contingit manum prodire leproſam, quandoque ſanam. Si hominum contuitum ſolum ſpectes in opere manus tua lepra perfunditur. Si autem Dei gloriam, vt intentio tua maneat in occulto, mundã poſſidebis manum, etiam ſi opus fuerit in aperto, vt ex operis manifeſtatione, Dei patris glorificatio conſurgat: vt etiam & nos glorifice-
2. Cor. 1 mur. Nam gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientię noſtræ: non hominum. Nec myſterio vacat, quod dominus leproſam manum mũ-

darit,quæ virgam Domini portare iubebatur,& in ea iudicia domini exercere, vt indigni habeãtur officij iudicis functione, niſi cuſtodierint manus ſuas: vt non faciant omne malum. Et ne a domino eis exprobretur, cum eſsetis miniſtri regni illius non recte iudicaſtis, nec minus ad iudicis probitatem pertinet manum a malo reuocare,quam ne malum perpetretur: cæteros *Sapi. 6.* virga Dei deterrere. Altiora tamen cõtemplantes, nouerimus Iudæos ſinu Dei deturbatos lepraque perfuſos erroris, & perfidie, demũ tamen reuerſuros in ſinum Dei,iam non in operibus legis fidentes: ſed in Deo, & tunc reliquiæ *Rom. 11* ſaluæ fient Iudæorum: qui mundi apparebunt. *Eſa. 53.* Imo cum immundi eſsemus omnes,Chriſtus filius Dei (quem nulla peccati macula contigit) *Pſa. 143* de ſinu patris nobis apparuit (qui eſt manus Dei) in carne.Sed viſus eſt tanquam leproſus: non habens ſpeciem,neque decorem. Tandem hæc manus [quam emitti de alto optabat propheta] retracta eſt in ſinum patris, quando regreſſus eſt ad patrem: qui eum miſerat. Et ſecũdo apparebit ſine lepra, iuxta Apoſtolum dicentem. Chriſtus ſemel oblatus eſt ad exhauriēda peccata: ſecundo ſine peccato apparebit omnibus expectantibus ſe in ſalutem. Cũ *Heb. 9.* tamen audis quod ſecundo apparebit ſine peccato, noli ſuſpicari in primo aduentu ſic cum peccato apparuiſſe: vt peccauerit aliquãdo. Abſit. Sed quia peccator exiſtimat⁹ eſt ab incredulis,& ſecũdo ſine peccato apparebit, quia non tantum electi verumquidem & qui eum pupu-

gerunt:etiam coacti verum, & iuſtum iudicem fatebũtur. *Si non crediderint verba tibi ſigni prioris: credent verbo ſigni ſequentis.* Fides noſtra verba nuda non habent: ſed ſigna, & opera quibus fulcitur. Non ſolum inquit Chriſtus. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, verumetiam & ſi opera non feciſſem: quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nec quidem vno, aut altero ſigno ſuam reſurrectionem confirmauit, ſed apparuit in multis argumentis, vt ſi alterum infirmetur: alterum conualeſcat. * Videamus igitur cum quanta cõſcientiæ ſecuritate, pro hac parte accedere poterimus ad diuinum iudicium & cum omni confidentia dicere. Domine, ſi error eſt: a te decepti ſumus. Nam & iſta in nobis tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, & talibus: quæ non niſi per te fieri poſſunt. *Si non crediderint &c.* Diuinæ bonitatis indicium eſt, vt a nobis fidem non exigat præcipitem, quin potius humanam ſolatur tarditatem ſignis, quæ naturæ non exuperant metas, vt inuiſibilia ipſius per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciãntur. Nec omnino fides exploditur, quæ ſignorũ probatione adoleuit. Nam ex Paulo notum eſt Gedeonem fide fuiſſe inſignitum, qui tamen ſemel, atque iterum victoriam aduerſus Madiam promiſſam: ex vno, atque altero velleris ſigno, petijt obſignari. Sed nunc * qui prodigiũ quærit vt credat, magnum factus eſt prodigium: qui mundo credente non credit. Et iam fides non habet meritum: cui humana ratio præbet experimentum. Quod certè priſcis licuit ob rei no-

Ioan. 15.
Act. 1.
* *Richardus de S. victor. l.* 1. *de trinitate. cap.* 2.
Rom. 1.
Heb. 11.
* *Augu. de ciuit. Dei.*

uitatem, nobis ſanè ſalutis detrimento eſt propter cordis duritiam, quæ liqueſcere non poteſt:ex tantorum teſtimonio. Siquidem credendi difficultas eorum, qui nos præceſſerũt, maximè fidei noſtræ cenſetur accommoda: vt eorum leuitati fides non imputetur, nec fidei illorum (quæ experimento non caruit) refragemur. *Si non crediderint &c.* Ac ſi dicatur. Timuiſti verba tua apud populum, ludum paritura, at non quidem tua ſunt, ſed mea, quæ in vacuum non reuertentur, quia vno, atque altero ſigno ita obfirmabuntur: vt culpa non careat tuæ legationis repulſa. Si non crediderint me tibi apparuiſſe ſigno priore, credent ſequente id eſt ſi non acquieſcant ob compreſſum, & deuictum Satanam, ſaltem timeant lepram incurrere, ſi protractam manum .i. opus extra fidem ſemper tenuerint. Nam indies monemur relinquere Ægiptum, relinquere iugum graue Pharaonis, qui in nobis maſculos, id eſt virtutes necare feſtinat, reſeruãs fæminas vt illecebris carnis illecti: ĩmolare Deo negligamus. Moneamur igitur neceſſum eſt, quod aduerſarius cauda ſua trahere iam non poſſit, quàm manu Moyſi, id eſt poteſtate Chriſti, coercitam nouimus. Alioquin vos monitos velim, quod a ſinu Dei auulſi, id eſt auxilium Dei ſpernentes, tali lepra inſpergimur, vt cum Deo, & ſanctis eius habitare non poſſimus. Chriſtus ergo qui Moyſi typo cenſetur, eo ſe verum ſui patris Apoſtolum, & populi liberatorẽ exhibuit: quod ſerpentis caudam perſtrinxit, vt virgæ rectitudo ſerpente commutata: eadẽ ſer-

Fæminas

pentis coercione rediret. Quia in hoc venit filius Dei vt diſsoluat opera diaboli. Nam demo-
1. Ioan. 3 nijs clamantibus. Tu es filius Dei, ipſe comminabatur & omnino loqui prohibuit, ſic caudam
Luc. 4. ſerpentis perſtringens, vt compreſsa ſilentio demonia, peſſimi finis [quo verbis veris nocere molirentur] luderent intentionem. Primum ergo Chriſti ſignum, eliminatio erroris, & veritatis ſtabilimentum eſt. Secundo, eo ſe populi appetens ſalutis perhibetur, quod manũ leproſam in ſinũ reuocat, vt ſanis operibus fidei iunctis: ſinu Dei. i. eius cõtubernio digni habeamur. Qui vero hijſce ſignis permanſerit incredulus, tertio intereat ſigno neceſsum eſt: quod Moyſi indicatur. *Quod ſi nec duobus quidem hijs crediderint neque audierint vocem tuam: ſume aquam fluminis, effunde eam ſuper aridam: & quicquid hauſeris de fluuio vertetur in ſanguinem.* Interdum terra, & arida indiſcriminatim pro eadem ſubſtantia ſumuntur, ſtrictiore tamen vocabulo, eo diſtinguntur quod terra, frugum ferax eſt. Arida vero earum eſt impatiens: proferens ſpinas, & tribulos & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem. Terra autem germinans herbam opportunam: accepit benedictionẽ a Deo. Aride ergo nomine, ſteriles, & increduli cẽſen-
Heb. 6. tur, quæ tanto obdureſcit: quanto magis irrigatur. Quid eſt igitur de aqua fluminis ſuper aridam fundere, niſi verba veritatis (quæ flumini comparantur) depromere populo dure ceruicis, qui iuxta Chriſoſtomi ſententiam, arenoſæ terræ comparatur, & non credit fidei Ec-

cleſiæ, ſed fidei: quæ ex ſacris ſcripturis colligitur, refragatur, qui quicquid hauſerit de ſacrorũ bibliorum flumine, vertit in ſanguinem. Id eſt ſi quiſpiam non crediderit ſcripturæ ſenſui & interpretationi Eccleſiæ Catholicę & Romanę, quicquid de flumine id eſt de S. ſcripturis hauſerit id eſt legerit vel audierit, vertetur in ſanguinem id eſt in damnationem, & ruinam, quæ ſanguine notatur. Exemplo huius rei nobis ſunt Iudæi, qui iubentur ſcripturas ſcrutari, quæ teſtimonium dant de Chriſto, hauriunt quotidie de flumine, quia iugiter legunt ſcripturas quæ ſunt velut aquę ad animæ refrigerium, & culparum eliminationem, ſed quia effundunt ſuper aridam id eſt ſuper corda ſterilia, & incredula, ideo vertuntur illis in ſanguinem quia huc vſque ſanguis Chriſti manet ſuper eos, & ſuper filios ſuos. Nec ſcripturæ in quibus putant ſe habituros vitam: poſsunt eſse illis ſalutares, neque hæreticis, maximè noſtri temporis, quos hugnotiſtas vocant.* Erit quoque hoc illis in teſtimonium iudicij, quod de exemplis ipſius blaſphęmias ſuas inſtruunt. Credamus igitur Eccleſiæ Catholicæ, vt fluant de ventre noſtro flumina aquę viuę, & fiat fons in nobis aquę ſalutaris in vitam æternam. Ad quam nos perducat dominus.

Ioan. 5.

* *Tertul. de carne Chriſti.*

Ioan. 6.

Homilia octaua.

A*It Moyſes, Non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius.* Publica ſubeunti negotia(etiã ſi Dei præceptum intercedat) tanta opus
Rom. 7. eſt modeſtia, vt muneris honor: periculorum non vincat timorem. Nam ſibi ſoli probè imperans: pluſquam commune opus agit, cum eadẽ perſona diſſidio non careat, vt pote quæ diuer-
Gala. 5. ſis conſtat naturis. Inuenio (inquit Apoſtolus) legem in membris meis repugnantem legi mẽtis meæ. Et iterum, caro concupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnem. Velle quidem pluribus imperare, multorum eſt, at de imperio meritas laudes obtinuiſſe, eorum tantum eſt qui ſoli Deo fidentes: ſalutem populi proprio commodo prætulerunt, & nulli vnquam fuerunt oneri, nec occurſationibus, nec ſiniſtro quouis medio, primatum aucupati ſunt: imo nec quidem deſiderio. Verumquidem qui epiſcopatum deſiderat: bonum opus deſiderat. O-
*1.Tim.*3 portet autem epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, doctorem, amplectentem eum qui ſecundum veram doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt ſacerdotio habeatur indignus qui ſcientiam repu-
3.*Reg.*6 lerit. Regni Salomonis fœlicia cenſentur exordia, quod populi regimen: ſine ſapientia inane putauerit. Siue igitur Pontificem, ſiue Regem ſpectes, vtrumque ruina manet: quem incapa-
Hier. 1. citas comitatur, peccandiue licentia. Hieremias præter cæterorum morem in vtero ſanctificatione donatus, ad ſubeundum publicum munus

nus pauefcit,etiam oblata deſtruendi, conſtruendique poteſtate, ob id tantum, quod pueri metas nondum ſe rebatur egreſſum,& prophetandi officium: loquendi imperitia recuſabat. Moyſes iam ſemel & iterum diuino potitus eloquio,& miracula edendi poteſtate iam ſuſcepta. Dei legationem erubeſcit, etiam liberandorum ſuorum gratia,quod ſuo iudicio verbi eloquentiam: & linguę promptitudinem non calleret. *Non ſum, inquit, eloquens ab heri & nudiuſtertius & ex quo locutus es ad ſeruum tuum:impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Perinde ac ſi dicat. Cum tuę voluntati domine, nemo poſſit & debeat reſiſtere, ecce præſto ſum nec recuſo laborem, ſed tantum erubeſco honorem, gaudeo quidem de aſcenſu:ſed non modicum timeo de lapſu. Nec me latet obedientiam omnium virtutum feracē eſse, multoque præcioſiorem omnibus ſacrificiorum generibus. *Iacob.3.* Verum quia bonum ex integra cenſetur cauſa, non poteſt completa cenſeri obedientia: quæ in vno ſolo defeciſse comprobatur. Nec poteſt perfectꝰ dici:qui in verbo offendit. Quomodo igitur perferā ad perfectū ſermonem tuum, cū impeditioris, & tardioris linguæ ſim? Inſuper nec ad gregarium militē, ſed ad regem mittor, in cuius regno, non eſt eruditorum virorum inopia, promptus michi certe animus eſt, ſed lingua inualida. Dixerit quiſpiam. Cum eloquentia non ſolum Philoſophis verumetiam & ipſis apoſtolicis indigna ſit,ſiquidem * adoleſcentulorum,& ludentium: certamen eſt & gloria. Quid eſt quod Moyſes

* *Chriſoſ. lib. 3. aduerſꝰ vitupe-ratores vitæ monaſtice.*

(quem nunc omne ſeculum dignatur honore) linguæ peritiam cauſatur? Plerumque enim fit vt ipſa eloquentia deceptionis ſit miniſtra: & erroris fomentum. At ſi cominus negotium diſpiciatur, nemo Moyſi quærelam niſi piam iudicarit, quem tamen verborum lenocinio delectatum non dixerim vnquam. Sed timebat ne regijs auribus ſermo impolitus contemptum verbi Dei pareret, quo contempto, tandē [quēadmodum contigit] Rex ipſe periret, quem vt vinceret ſatis roboris habebat, vtpote edēdi miracula potitus facultate: ſed malebat verborum artificio conuerſum iri, & linguę miniſterio, quoniam erat mitiſſimus inter omnes qui ver-

Nū. 13. ſabantur in terra, cui alterius ruina mœroris fomentum prębebat. Illius cordi hæc hærebat pia ſollicitudo. Regum & maximè ſuperborum, ea conſuetudo trita eſt, vt vix conſilio amicorum atque propinquorum animum flectent, vt quæ non decreuerint faciant etiam ſi angelorū verbis aptaretur ſuaſio, ſiue experientia, ſiue peritia dicendi donentur: qui conſulunt. Quid igitur potero illius regno ignotus & imperitus? Potero quidem vt vincatur, non vt doceatur. Sed præſtat doctrina quæ victum veritatis noticia ſolatur, quàm victoria quæ victo

* *Chriſoſ. hom.* 25 *in Gen.* aptat ruinam: & victori mœſticiam. Nam * bonorum virorum animæ magnam compaſſionē habere ſolent, ſi quando vident homines puniri, etiam ſi mali ſint qui pereunt. Hæc igitur Moyſi compaſſionis indicia ſunt. Sed admiranda eius venit humilitas, quæ ſuimet contemptu

diuinæ gloriæ cumulũ non perfunctoriè cupiebat. *Non ſum* [inquit] *eloquens*. Sed re ipſa eloquens erat, * & ſonore vocis & eloquentiæ incomparabilis quantum ad Ægiptios, vbi autem cœpit audire vocem Dei, tardamque & impeditam eſſe ſuam intelligit linguam. Tunc ſe pronunciat mutum cum cœpit agnoſcere verũ illud verbum, quod erat in principio apud Deũ. Omnes enim homines ad comparationem verbi diuini, non ſolum ineloquentes: ſed & muti putandi ſunt. Quis ignorat Apoſtolum ſe imperitum ſermone aſſeruiſſe? Sed dictum humilitatis cauſa fateamur velim. Siquidem audierat in tertio cœlo arcana verba, quæ non licet homini loqui. Alioquin. Quis eius epiſtolas graues, & fortes dixerit ſapientiæ & eruditionis ieiunas, niſi impos mentis? Redeamus ad Moyſem. Si enim adamuſſim ſpectetur, vir integer erat, venuſtus corpore, fide certiſſimus, membris, & ſenſibus fœlix, cuius oculus non caligauit, nec dentes eius moti ſunt quamdiu vixit, diuino amore ardentiſſimus, animo mitis, conſilio prouidus, clarus non minus doctrina quã eloquio, viribus robuſtus. Hoc illi tantum deerat ſuo iudicio, quod eloquens nõ erat, vt nedũ imperitiam, verum & excuſationem texeret ne mitteretur. Et ne tãti regiminis ſuſciperet mun⁹ elinguẽ ſe eſſe cauſabatur. Et hoc ad confuſionis cumulum hæreticorum qui (vt de vitæ probitate taceam) ſi lenocinia verborum excipias nunquam ſalutauerunt theologiam, ne literas quidem niſi infœliciter ex putidis Gebenẽſibus

* *Origenes in Exodum in homi. 3.*

2. Cor. 11

2. Co. 12

Deu. 34

* *Gregor. in Iob. cap. 42.*

lacunis exauſtas, quibus onuſti iam non euangeliorum ſed conuiciorum ſeſe comprobãt diſ-
1.*Tim*.1 minatores, quibus ſatis eſt ſi ſacerdotes Chriſti eorũque miniſteria contemptui exhibeant, volentes eſſe legis doctores non intelligentes neque quæ loquũtur: neque de quibus affirmant, quos vt ipſa docet experientia Apoſtolis longè abſimiles cernimus. * Nã illi de mortuis viuos faciebant, iſti de viuis mortuos faciunt. Nec eos dũtaxat cauſamur temerarios, ſed tales quos peruicax factio, & hæreſis ab Eccleſia ſeparat, nec ad munus obeundum euangelicum legitima auctoritas deſtinat. Sed eos etiam, prohpudor, qui aure popularis deſiderio impulſi officium prædicandi aucupantur, magno animarum damno, qui præter frigidas conciones in ſuggeſtu deprõptas, & eruditione vacuas, non habent vnde ſolari valeant eos qui cõſcientię ſtimulos, quos ſcrupulos vocant, patiuntur. Canes quidem muti non valentes latrare aduerſus lupos. i. hæreticos, inter quos ſi incidere contingat, tantum abeſt vt eorum ora comprimant, verùm auribus conniuentibus, magno puſillorũ ſcandalo, perferunt ignauiter, ne dicam patienter, illos blaſphemos effutire quicquid occurrit quod fidei ortodoxæ, ac Romanæ Eccleſiæ: exiſtimant aduerſarium Et ſoluiſſe penſum ſeſe exiſtimant, ſi plebeculæ fuerĩt cõcionati quod ex penore exiguo hauſiſſe potuerũt. Audiant Apoſtolũ vt doceantur, non ſolũ vt ſint potentes exhortari ſana
Titũ. 1. doctrina verũetiam, & eos qui contradicunt arguere, exemplo Moyſi, qui non ſolũ verbũ Dei

*
Tertuli. de pſcriptore hæreticorũ quod hæreticis noſtri tpis congruit

Pharaoni propoſuit. Imo & reſtitit Iamne, & Mambre, qui viciſſim ei reſiſtebant. Moyſes ſe cauſabatur ineloquentem, non indoctum Nam præſtātia dicendi ſine doctrina vana eſt. * Qua propter cum quis cæteris eloquētia præſtiterit, tū demū illi in primis ſtudio & labore opus eſt. Quoniam Moyſe timente doctrinam eloquentia non communiri ibi maior habendus eſt timor, vbi dicendi præſtantia: doctrina deſtituitur, & demum maximus timor vbi neutrum intercedit. Cæterum, ſi diligentius diſquiratur ratio forſam occultior, cur Moyſes tardiorem & impeditiorem inculcat linguam, non reor omnino vanum. Quum ob id potiſſimū deligatur a domino nedum vt populus ſubducatur captiuitati: ſed vt imolet Deo ſuo, citiſſime igitur id rebatur annunciandum. Quia cum de religione agitur: opus eſt prōptitudine, ſcriptū eſt enim. Si quid vouiſti Deo ne moreris reddere. Nam Deus auerſatus eſt Cayn & hoſtiam eius, nō ob id tantum quod non erat fide præditus, ſed quia hoſtiæ oblatio hylaritate caruit & promptitudine, quia [inquit ſcriptura] factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cayn de frugibus terræ cum audis ſcriptum, poſt multos dies, noueris illum oſcitanter obtuliſſæ. * Sed neſcit tarda molimina ſpiritus ſancti gratia, qua impulſa ſacratiſſima virgo iam filium Dei in vtero ferens, non niſi cum feſtinatione, montana conſcendit ſalutandi cauſa cognatam ſuam Elizabeth: non ſine in Deum exultatione. Paſtores ad præſepiū ſaluatoris feſtinantes venerunt. Zachęus hoſpi-

Marginal notes: * *Chriſoſt lib.* 5. — *Eccle.* 5. — *Gen.* 4. — * *Ambroſius ſuper lucā.* — *Luc.* 1 — *Luc.* 2.

tio Chriſtum excepturus de arbore iubetur deſcendere feſtinanter. Nec aliter in æternam re-
Luc. 19. quiem ingredi Apoſtolus admonet Ideo repēte
Heb. 3 ſpirituſſanctus Apoſtolos repleuit, quo docean-
Act. 2. tur vt tanta celeritate verbo veritatis homines
Luc. 10. ad Chriſti obſequium euocent: vt in via quenquem ſalutare prohibeantur, ne tantillo temporis euangelium muſſitaret. Iudicio ergo Moyſi opus erat viro linguæ expeditioris, quo ſacrificium tantis annorum ſpacijs neglectū: re-
2. *Eſd.* 4 moram non pateretur. Quemadmodum inde factū legimus, quod vna manu faciebant opus & altera gladium tenebant: qui Hieruſalem deſtructam reparabant, zelo & feruore diuini ob-
Pſal. 69 ſequij quod tumultu militari annis ſeptuaginta remanſerat ſupreſſum, & equum quidem eſt vt qui quotidie dominū deprecamur vt ad adiuuandum nos feſtinet, celeritate atque hylaritate animi, illi obſequi feſtinemus. Quia maledicto eſt obnoxius qui facit opus Dei negligenter. *Dixit dominus ad eum. Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum videntem, &*
Apoc, 2 *cæcum? Nonne ego? Perge igitur & ego ero in ore tuo, doceboque quid loquaris.* Omnis inobediētia de ſuperbia naſcitur. Nec dicendus eſt quiſpiam inobediens: quem humilitas vera comitatur. Ob id dñs qui ſcrutatur renes & corda, mentem magis quā ſermonem attendens: rebellionis Moyſem non arguit, quem nouerat ſuam indignitatem humilitate texere, non diffidentia. Hāc obiectionē eius tanquam rationabilē amplectens: dixit ad eum. *Quis fecit os hominis?* Ac ſi dicat. Nō

eſt quod cauſeris linguę defectum, cum michi nichil deſit, Eſto ita vt elinguis exiſtas. Quid tũ? Opus eſt michi hominum eloquentia, vt quæ diſpoſui ſuum ſortiantur effectum. Eloquens (inquis) non ſum. Quid ergo ſi mutus? ſuſpecta ſane perſuaſio, quę venuſtate ſola verborum texitur. Nunquid linguæ inopia te michi reddit contemptibilẽ? Aut propter eloquentiæ carentiam te mei conſortij feci expertẽ? Non poteſt volũtati diuinæ diſplicere: quod ea auctrice prodijt? Querantur verborum lenocinia: vbi de Dei auxilio deſperatur. Nec fuco eget, dicendi, qui Deum authorem habet & comitem. Eorum eſt ornatè loqui: qui decipere nouerunt & per blandos ſermones & dulces benedictiones, ſeducunt corda innocentiũ. Et ego, inquit, Apoſtolus cum veniſſem ad vos: non veni in ſublimitate ſermonis, & ſapientiæ. Plerũque dominus ad effectum properat medijs quæ a naturæ abhorrent conſuetudine, vt naturæ auxilio non indigere monſtretur. Qui igitur hominem nullo auxiliante produxit, non poterit loquendi beneficium muto exhibere? Putaret humana temeritas creaturam ſuapte natura perfectam, ſi nichil mancum, nichil impefectum in lucẽ prodiret. Vide mundi exordia. Nemo ſani cordis dubitat Deum omnia creaſſe, ſed in principio terra erat inanis & vana. i. inculta & nulla pulchritudine ornata, imo, ſiue animalia ſpectes, ſiue arbores, ſiue rerum diſtinctionem, & omnia quidem primũ, vnũ chaos facta ſunt, quæ temporis ſucceſſu decorẽ ſuſceperunt, ne homines

Rom.16

1.Cor.2.

Gen.1.

ob neceſſitatem vſus, plus iuſto terram venerarentur, vel eius fructus naturæ nõ imputaretur: ſed Deo, qui eam vt ex nihilo eſſet creauit. Nec abſimilis ratio eſt cur interdum dominus mutos producit in lucẽ aut ſurdos, & tardioris linguæ, vt nacta opportunitate per eos glorificetur qui plerumque per eloquentia prędiros: blaſphemiis lancinatur. Quidam etiam ex antiquioribus qui apud Doctos optimè audiunt, quandoque ſacrorum bibliorum ſtilum erubuerunt quod faſtu careat: & ſimplicitatem ſeruet. Sed re probè proſpecta, iudicarunt maiore verborũ ornatu amiciari non debere: quod ſatis eluceſcit illa irrefragabili veritate a ſpiritu ſancto collata. *Perge igitur & ego ero in ore tuo.* Pepẽdo Dei patientiam qui non dedignatur cũ ſeruo diſcutere, & ſic rem temperat vt neque humilitate Moyſes a ſubeundo negotio eximitur, nec eius expoſtulatio ſolatio caruit: quo erigitur qui præceptum ſuſcipit. *Perge igitur.* i. nulla dificultas te remoretur: maximè te Deo comitante. Nã concluſio humilitatis: obedientia eſt. Piam quęrelam ſuſcepi, ſed remedio exibito, nõ eſt quod cauſeris nempe quod eloquens non ſis. *Quia ego ero in ore tuo.* Vt dicendi præſtantia, zelo & virtute compenſetur, vt ſicut iamdudum credidiſti in corde tuo ita confitearis ore proprio ad ſalutem. *Ero in ore tuo.* In prolatione, qui hactenus fui in corde tuo per inſpirationem. Qui autem ſeipſos intrudunt in officium prædicandi, maximè euertendę religionis cauſa, habent in ore Satanam, & ſpiritum mendacem. Qui verò mittun-

tur ab hijs quos ſuccedanea poteſtas Eccleſiæ decorat, ſic a Deo ſapientiam & os accipiunt vt non poſſint reſiſtere aduerſarii. *Doceboque te quid loquaris.* Vt ſermo tuus ſale cõdiatur, & ſermonem doctrina comitetur. Alioquin vana eſſet prædicatio. Argue, inquit Paulus in omni patientia & doctrina. Nec ſilentio contegendum venit quod Moyſes habens Deum comitẽ, per inde atque Deus veniebat ſuſcipiendus. Et eccleſia parem cum ſcriptura ſacra obtinẽs auctoritatem audienda eſt. Alioquin. Tanquã publicani, & etnici in vltimas terras deportandi ſunt: qui refragantur. Quia (inquit Chriſtus Apoſtolis) qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit, qui autẽ me ſpernit: ſpernit eum qui me miſit. Et vt demum huic ſermoni imponatur finis. Moyſi obedienti, verbum & doctrina promittuntur a Deo, quia ille ſpiritum Dei habere non poteſt, quem iudicium Eccleſiæ temerarium ab Eccleſia ſecernit. Interim non minus populo præbetur documentum quam Doctori. Nam quemadmodũ ad iuſſionem Dñi pergens Doctor, quatenus Pharaonẽ. i. quẽuis peccatorẽ a male cœptis auocet, nunquã Dei auxilio deſtituetur: quo minus habeat quid loquatur. Nec populus hærebit dubio ſiue fidem ſiue mores ſpectes, quoniam ſemper Eccleſia abũdabit doctoribus vſque ad comſummationem ſanctorũ, vt non transferamur omni vento doctrinæ donec occurramus in virum perfectum: in ætatẽ plenitudinis Chriſti. Ad cuius gloriam peruenire tandem valeamus.

Luc. 21. *1 Tim* 4 * *Baſilius de ſſo. cap.* 27. *Luc.* 10 *Ephe.* 4.

Homilia nona.

Luc. 10. *Obſecro Domine (inquit) mitte quem miſſurus es.* Multi Reges & Prophetæ, D. Chriſtus Apoſtolis, voluerunt videre & non viderunt, quod tempus a Patre definitum: nondum inciderat. Omnia quidem Deus agit in numero, menſura, & pondere, Ob id Dauid[quem tamen Deus inuenerat ſecundũ cor ſuum]nichil tunc tẽporis obtinuit cum diceret. Faciem tuam illumina ſuper ſeruũ, quod ſecũdũ incarnationẽ poteſt accipi. Moyſes iuſſus Ægiptum petere liberãdi populi gratia, opere & ſermone potens: potentiorem tamen mittendum obſecrat. *obſecro* (inquit) *Domine mitte quem miſſurus es.* Quem autem Dominus miſſurus erat niſi quem Patriarcha Iacob anunciauerat venturum qui erat expectatio gentium? Ipſe eſt Ieſus Chriſtus. Non quidem ire Moyſes differebat animo diffidentię aut inobedientiæ, ſed ſciens quod miniſterium ſuum, nichil ad perfectum adduceret. Atque maluiſſet populum de mundo ad cœlum transferendum, & de peccato ad gratiam, quam de Ægipto ad terrã promiſſionis: quod per ſolum Dei filium fiendum optimè nouerat. Pium quidem deſiderium ſed intempeſtiuum, quo circa, finem integrũ ſortiri non potuit. Dicitur enim. *Iratus Dominus in Moyſem &c.* Ira Dei gradum habet, vt altera ſit altera maior. Ira magna [inquit] iraſcor ſuper gentes opulentas, quia iratus ſum parum ipſi adiurauerunt in malum. Non nocet ira: quæ miſericordia terminatur, aut bo-

Marginalia: Sapi. 11. — Ambr. Pſa. 118. — Gen. 49 — Rupert⁹ li. 1. cap. 18. de trin. & operibus &c. — Heb. 7. — Zach. 1.

nis operibus præuenitur, quibus Ezechias iram declinauit, & precibus ſuis Deum pœnitens ad miſericordiam prouocauit. Nam aliter Princeps iraſcitur filijs ſuis: aliter inimicis. Chriſtus ergo ſummus Princeps, Apoſtolos tanquam filios habebat, quibus tamen interdum incredulitatis cauſa iraſcebatur eos generationem incredulam vocans, ſic filijs ſuis iraſcitur Deus propter increpationem. Sic tamen aliquando iraſcitur: vt ira eius remedio careat. Quis dubitat Deum infenſum fuiſſe Sauli, qui in anguſtia poſitus Domini reſponſum habere non meruit. Non ſic iratus in moyſem cui poſt iram, comitem de ſignauit fratrem, & colloquium non negauit. Sed non exiſtimetur a ſcopo alienum, ſi ire Dei in Moyſem diſpiciatur ratio. Iuſtum quidem & pium erat quod poſtulabat Moyſes, ſi temporis ratio: poſtulationi reſpondiſſet. Quo docemur nos iram Dei mœreri, ſi citius iuſto bona promiſſa concupiſcamus. Ad hoc primos parentes creauerat Dominus, vt tandem tanquam filij Dei haberẽtur, ſed impatientia tempus præuentum optantes: a ſua felicitate exciderunt. Verumquidem, Moyſes non niſi temperatam iram Dei ſenſit, quod intempeſtiuæ obſecrationi, maius ſalutis populi deſiderium iungebatur: quam tunc temporis dare Deus decreuerat. Ex quo autem nondũ aduenerat plenitudo temporum, & ad aſſumendam a Deo verbo humanitatem, oportebat typicis figuris pręſignari, ob eas cauſas: Prophetæ peticio minime eſt exaudita. Oportebat mũdum aliquot ſeculis ſuam experiri

Mat. 17

1. Re. 28

Gen. 3.

Baſilius in ſextũ Eſaye.

infirmitatem, vt aduenienti medico: maior reuerentia exhiberetur. Quod ſi retroactis temporibus id factum fuiſſet, non ſic admirandum, neque incredibile viſum fuiſſet. Sic ergo iratus eſt Dominus in Moyſem, vt tenerum eius pietatis deſiderium valde afflixerit, quod ad poſtulata non reſpondit & forſan tot annorum centurijs incarnationem filij ſui diſtulit Dominus, quod tot Deorum, imo demonum ſpurcitijs ſe mundus macularit adeo, vt in toto mundo rari cultores inuenirentur, ſi populum Iudæorum excipias: quorum non pauci dijs alienis ſeruierunt: cum Regum ſuorum maiore parte. Et quid nunc expectamus niſi ſaluatorem, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ: configuratum corpori claritatis ſuæ? Tamen monemur patientes eſſe vſque ad aduentum Domini. Legimus certè Apoſtolum diſolui optaſſe vt eſſet cum Chriſto, ſed petiſſe non legitur ſuæ diſſolutionis diem præfixum, quod ſciret non ſibi datum noſſe tempora vel momenta: quæ pater poſuit in ſua poteſtatæ. Aliud namque eſt quod iram Dei potuit excitaſſe in Moyſem, nempe quod Pharaonis duricies ac populi ſui ingratitudo: fuerunt illi impedimento promptioris obedientiæ. Et enim plane nouerat cauſam cuius gratia mitteretur, quamobrem extrahebat tempus eratque cunctatior, reſpiciens ad pertinax & inexorabile cor Pharaonis: ſimul & ad contumacem populum, quamque difficilè æduceretur. Experimentum enim cœperat Iudaicæ ingratitudinis ac perfidiæ quando, ille quem ab

Chriſo. in tertiū cap ad Romma.

Phili. 3.

Phili. 1.

Act. 1.

iniuria ægiptij defenderat, eum fugæ adegit ne-
ceſſitati. Imo Iudaicæ impietati tritum ac fre-
quens fuit hijs obluctari: qui ſedulò eius ſaluti
conſuluerunt. Quocirca non ferens eorum ma-
licioſam ingratitudinem, expoſitione incapaci-
tatis: apud Deum a functione iniuncta depreca-
batur abſolui. Nec erat in Moyſe tam pium tam-
que ſanctum deſiderium, quod aliquid humani
non pateretur. In ſimili negotio plerique ſunt
Moyſi non abſimiles, quibus nichil ad munus
prædicandi deeſt ſi humana ſpectetur infirmi-
tas: hij nimirum eo loci tranſmitti cupiunt, quo
populi frequentiam prædicationis appetentem
nouerunt, vbi nullo murmure vulgari, nulliſue
conuicijs, nulla auditorum ingratitudine labór
Doctoris vexatur, ſed omni applauſu & fauore
excipitur: & mortis ſeu verberum nulla formi-
do terret. Alioquin, pedem reuocare pro ſum-
mo ſtudio habent. Hij ſanè ira Dei habentur di-
gniſſimi. Non enim intereſt vnde doctori verbi
Dei miniſtro terror aut periculum veniat, qui
terribus ac periculis debet viuere obnoxius, & terroribus
tamen de ipſis periculis & terroribus ſi fidelis
permanſerit: fit tandē glorioſus. Nam in eorum
gratiam canit Propheta. Euntes ibant & flebāt: Pſ. 125.
mittentes ſemina ſua. Et poſtmodum ſubdit ta-
lium fletuum fructum dicens. Venient autem
venient cum exultatione: portantes manipulos
ſuos. Non enim contingit verum Eccleſiaſtem
ſine afflictione verbū Dei prædicare, ſiue odium
populi, ſiue malorum ſeu perditorum minas:
aut indigentiam ſpectes. Nec illius eſt legitime

concionari, cuius voluntas rectè dicendi: vi pe-
* riculorum diſſoluitur. Quia * ſi ita res eſt vt ne-
Cypria. quiſſimorum timeatur audacia, vt quod mali iu-
ad Cor. re atque æquitate nõ poſſunt, temeritate atque
lib. 43. deſperatione perficiant: actum eſt de prædicato-
ris vigore, & de Eccleſiæ gubernandę ſublimi ac
diuina poteſtate. Nec Chriſtiani vltra durare aut
eſſe vix poterunt, ſi ad hoc ventum ſit, vt diuini
verbi præcones, perditorũ minas pertimeſcant.
Nec idcirco relinquenda eſt illis eccleſiaſtica di-
ſciplina, aut ſacerdotalis negligenda eſt cẽſura,
quoniam conuicijs infeſtantur, aut terroribus
quatiuntur. Erat igitur Moyſes aliquali repræ-
henſioni obnoxius, quod obediendi promptitu-
do: ſola populi ſpectata difficultate aut Pharao-
nis duricia retardabatur. Cũ ob id maximè (na-
Mat. 10 cta occaſione) veniat ſanguis fundendus. Nolite
(inquit Chriſtus) timere eos qui occidunt corp⁹:
animam autem non poſſint occidere. *Aaron fra-
ter tuus leuites ſcio quod eloquens ſit. Ipſe egreditur in
occurſum tuum.* Nec omnino fuit ingrata Moyſi
obſecratio, quæ humilitatem & perſeuerentiam
comites habuit. Non obtinuit quidem vt adhuc
filius Dei mitteretur, ſed ſaltem hoc habuit vt
ſui miniſterij comitem haberet: etiam fratrem,
eoque docemur vt non pudeat orare etiam ſi ſe-
mel atque iterum orauerimus inexauditi. Mo-
nentur inſuper hic Paſtores, qui curam habent
animarum, hij maximè quos epiſcopatus honor
decorat, & qui virgam Domini geſtant in manu,
id eſt, legitimam poteſtatem, vt ſi dicendi præ-
ſtantia non gaudeant eloquentes aſciſcere in ſui

oneris ſolatium ſatagant id eſt viros, qui ſint potentes exhortari ſana doctrina. Sintque ita eloquentes vt interim fratres ſint i. eiuſdem patris & matris Chriſti videlicet & Eccleſiæ iudicio adhærentes, nec quicquam depromere audeant quod aut Eccleſia non approbarit aut cōdemnauerit: quod textu ſequenti demonſtratur, *Loquere ad eum & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo & in ore illius, & oſtendam vobis quid agere debeatis.* Nouerit frater tuus eloquentiam altero bono indigara nempe veritatis manifeſtatione, qua ſuppreſſa, quid aliud eſt eloquentia, quàm animarum decipulum, & erroris fomentum? *Loquere ad eum.* Vt poteſtate dicendi præſtet. *Et pone verba mea in ore eius.* Illius eloquentia benè recteque loquendi, quædam eſt præparatio ſed non conſummatio: ſi verba mea deſint. Quia tamen verba Eccleſiæ verba Chriſti ſunt, rectè loqui & docere cenſetur qui quod dictat Eccleſia, pro Dei oraculo exiſtimat dici. Olim venerunt ad Eccleſiam (quæ typo Moyſi cenſetur) quamplurimi eloquentes, veluti ſancti, Iuſtinus, Auguſtinus, Cyprianus, ſed egerunt nichil nec dixerunt, niſi Eccleſia ad eos loquente & ponente verba Chriſti in ore eorum. Cum enim ſacrum peregerunt verbis quidem vſi ſunt quæ Eccleſia eos docuit non tamen inſtituit, quia & ſi verba ab Eccleſia deprompta, Chriſti tamen ſunt & ab ipſo inſtituta: & Eccleſiæ tradita. *Et ero in ore tuo.* Te ponente verba mea in ore eius, non ob id erit os tuum veritatis ieiunum, quia ſicut nunquam

Eccleſia Doctoribus egebit, nec Eccleſiæ deerit doctrina : qua Doctores informari debeant. *Et oſtendam vobis quid agere debeatis.* Hos geminos ire iuſſit Moyſem tanquã legem, Aaron tãquam ſacerdotiũ. Et quemadmodũ accepit Aaron a Moyſe verba doctrinæ, vt quod Moyſes veraciter cognouit:eleganter.i.ſincerè Aaron promulgaret. Quia ſine ſacerdotio lex muta eſt & elinguis,nec prodire audet nec poteſt:niſi comitante ſacerdotio Recedat Aaron,iam videbit Moyſem obnitẽtem atq; ſe a munere iniuncto excuſantem. Aufer ſacerdotium,& nulla aut inutilis lex remanebit. *Oſtendam vobis &c.* Quandiu cum Moyſe manet Aaron.i.ſacerdotiũ cum lege,oſtẽdet ſemper Deus Eccleſiæ ſuæ quidnã agere debeat. Aufer ſacerdotiũ, quid reſtat niſi vt pereat
Heb. 7 lex Euangelica?Quia ſicut transſlato ſacerdotio: neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat, ſic eo ſublato: lex pereat neceſſum eſt & doctrina. Cognoſcant noſtri tẽporis hæretici & Caluiniſtæ, qui
Reg. 30 ſacerdotiũ auerſantur,quod a Deo non habent, quid agere debeant,ſemper diſcentes & ad veritatem nunquã peruenientes: quod Dei oraculo
2.*Thi.* 3 indigni habentur, qui oſores ſacerdotũ habent ſibi amicos,Na Sauli Regi in anguſtijs cõſtituto non reſpondit Dñs. Indign⁹ quidem erat a Deo edoceri, qui ſacerdotes dñi indiſcuſſa & iniuſta cauſa interficere non reformidarat. Quid igitur acturus oĩno neſciret,Deo cõtẽpto Phitoniſſam adijt,cuius arte ſuę mortis proximè reuelationẽ ſuſcepit.Neq; hic temerè typũ geſſit hæreticorũ maximè q hac noſtra ætate graſſantur, qui ſpre-
tis

tis ſacerdotibus & quoad poſſunt iugulantes: ab Eccleſia ſacerdotium adnituntur ſeparare, quid nam ſint facturi adeò ignorantes ſunt, vt in reprobum ſenſum lapſi, repleti omni iniquitate: multa quæ non conueniunt faciant. Exempla teſtibus non egent. Nam quid minus iuri, & æquitati congruit quàm nulla legitimi magiſtratus auctoritate ſacerdotes, & monachos occidere, & quos reſeruant, ad ſacrilegas nuptias aut cogere aut inuitare, verba Chriſti inuertere, vt quod corpus eius cenſetur: habeatur pro pane, neceſſitatem baptiſmi negare, ac verbo reſtagari Chriſti dicentis, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpirituſancto, non poteſt introire in regnum Dei, Arma ſumere, & claſſicum canere in Reges & principes, quod apud Apoſtolos impium ſancitum eſt: etiam priuſquam Reges Chriſtianiſmo inaugurarentur. *Et ipſe loquetur pro te ad populum.* Eorũ eſt qui ſacerdotio funguntur pro lege loqui, vt nemo inſoleſcat, aut perperam interpretetur legẽ. Ipſa ſiquidẽ lex, quæ diuinis ſcripturis extat, ſine ſacerdotio obmuteſcit, quæ & ſi nichil habeat falſi, vt pote diuinitus inſpirata, tamen non temerè dicitur tardioris & impeditioris linguæ, quia obſcuritate, & difficultatum velamine nõ poteſt loquens intelligi, niſi Aaron. i. ſacerdotiũ loquatur, & Eccleſiæ auctoritas: mentẽ loquẽtis legis per ſcripturas aperiat. Nõ eñ ſumus ſancto Eunucho ſanctiores, qui myſteriũ Chriſti ex Eſayę lectione cognoſcere nõ potuit, niſi Philippi dyaconi declaratio legentẽ docuiſſet. Cõtigit tẽpo-

Rom. 1.

Ioan. 3.

Act. 8.

re Apoſtolorum inter Diſcipulos apud Anthio-
Act. 15 chiam fieri controuerſiam de obſeruatione legis
& Euangelij aſtantibus Paulo, & Barnaba, ven-
tum eſt tandem ad Apoſtolos, quorum vertex
Petrus, abrogationē inſinuans: controuerſiam
diluit. Tūc tacuit multitudo. Vides igitur Aaro-
nem pro Moyſe .i. pro lege loquētem id eſt Ec-
cleſiaſticam, & ſacerdotalem auctoritatē: men-
tem legis aperientem? Nec video cur ſacra ſcri-
ptura (quæ in Moyſe typum habuit) ſic cōſpur-
catur, & adulterino ſenſu maculatur, niſi quia
non admittitur loquēs .i. quia non creditur Ec-
cleſiaſticæ auctoritati. Tu autem eris in bijs quę
ſunt ad Deū. Multarum rerū,operū, geſtorūque
argumēta ſacra habet ſcriptura. Et quedā hone-
ſta etiā inhoneſtis permixta nichilomin⁹ tantarū
diuerſitatē recenſens,ad ea quæ ad Deū pertinēt
intuetur: & ad eius dilectionē quæ legis eſt ple-
nitudo.Siue ergo ſcriptura ſerpentē antiquū fu-
rentē, ſiue Angelū obedientē, ſiue beatæ Mariæ
humilitatē, ſiue Agar arrogantiā, ſiue Cayn par-
ricidam,aut Abelem iuſtū, Noe ebriū, Ioannem
Baptiſtam ſobriū referat:ad Dei gloriā reſpicit.
Scriptura habet vt nemo decipiatur. Miniſteriū
verò ſacerdotij huc tēdit: quatenus ſcripturæ &
Euāgelio obediatur. Et ſicut contēpto Moyſe ſeu
abſente. Aaroneq; tacente & conniuente: pro-
rupit ad idolatriā populus ita per ignorantiam
legis & ſcripturæ Moyſi abſētia figuratam, &
negligentiam ſacerdotis populus facilè ad hęre-
ſim, quæ idolatria eſt, flectitur. Virgā quoque
hanc ſume in manu tua in qua facturus es ſigna.

Ea vtere in poteſtatis indicium. Pleraque miracula feciſſe Chriſtus legitur, nullo tamen vſus eſt inſtrumento: ſi vocem aut proprium corpus excipias, vt a miniſtris tanquam dominus proſpiciatur, quod illi inſtrumentis opus habeant qui creatoris excellentiam attingere non poſſunt. Nam ipſe ſolus ſeipſo ſolo voluntatem ſuã reddit efficacem. Inſuper Moyſes in manu virgã ſumere iubetur in qua iam conſpexerat diuinæ virtutis indiciũ, vt ea continuò oculis ſuis obiecta, de futuris virtutib⁹ nõ heſitaret. Quo docemur nõ temerè Eccleſiæ antiſtites ſecũ crucis ſignũ ferre & populo benedictionẽ impartiẽdam manu exprimere, vt ex virtute quã adminiſtrat Deus, non ſua: miniſteriorum Dei diſpenſatores credantur. Recordentur prælati virgã ſuam ſerpentẽ fuiſſe. i. videãt hij quibus hoc munus impartitur Deus vt recti ſint qui ſerpẽtis cõditioni per Adamum ſubiacuerũt ne ſibi ex natura iuſtĩ videãtur ſed ex gratia. Sic Apoſtolus ſũpſit virgã Dei in manu, vt mutata in melius vita, muneris eſſe Dei fateretur nõ ſui roboris, Eccleſiam Dei inquit, perſecutus ſum ſed miſericordiã Dei cõſequut⁹ ſum. Sic ergo portabat virgã, i. ſic rectã viam ſequębatur vt priorem vitam humilitatis cauſa nõ erubeſcat. *In qua facturus es ſigna.* Moyſes conſpecta virga in ſerpentem conuerſa fugiebat. Et omnes crucem auerſabantur quaſi maledicto obnoxiã, ea tamen nobis opus ẽſt ad facienda ſigna aduerſus Satanam Pharaone expreſſum, vt ad omnem* progreſſum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad

1. Tim. 1

* *Tertul. de corona militis.*

lauachra ad menſas,ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio excercet: frontẽ ſignaculo crucis teramus. Nec ſatis ſit ea cruce frontem obſignari, ſed ea manus muniatur neceſſum eſt, vt confeſſionis confidentia opere roboretur, vt pro virili adimpleamus ea

Philip. 2 quæ deſunt paſſionis Chriſti. Hoc autem nobis deeſt: vt Chriſto paſſo eius veſtigia ſequamur. Quia datum eſt nobis a Chriſto, non ſolum vt in eum credamus,ſed vt patiamur pro eo,vt eius paſſionum ſocij effecti: tandem eius conſolatione gaudeamus in regno cœlorum. Ad nos perducat Dominus.

Homilia decima.

Abijt Moyſes, & reuerſus eſt ad Ietro ſocerũ ſuũ. Dixitque ei, vadam & reuertar ad fratres meos in Aegiptum, vt videam ſi adhuc viuant Qui aliquo munere donatur a Domino,

1. *Co.* 4 ſic illi eo vtendum eſt vt elatus arrogantia non inſoleſcat, ſed humilitatem habet neceſſariam, qua modeſtiæ limites contineat. Quid habes (inquit Apoſtolus) quod non accepiſti, ſi acceperis, quid gloriaris quaſi non acceperis? Ob id illummet Apoſtolum Dominus ſtimulo carnis

2. *Co.* 12 adegit,ne reuelationum magnitudine plus iuſto extolleretur, qui non niſi coactus Pſeudoapoſtolorum cauſa: reuelationes ſibi factas proponebat.

Mat. 17. Spectato trãsfigurationis myſterio,Chriſtus Apoſtolis quos aſſumpſerat tegendum ſilentio præcepit niſi poſt reſurrectionem, non tã ſui cauſa(vt pote qui aurę popularis deſiderio

teneri non poterat) quàm illorum, qui ex tali ſpectaculo ante confirmationem non facilè vanam gloriã declinare minimè potuiſſent. Moyſes diuina potitus reuelatione, ſolitam erga Socerum obſeruat reuerentiam, nec ex oraculo e-¶rigitur, nec abijt hoſpite inſalutato. Sed ſic negotium temperauit vt Deo parere cupiens, fomentum amicitiæ illi relinqueret: cui affinitatis neceſſitudine erat coniunctus. Quoniam dilectionis proximi damno: non venit Deus diligẽdus. Nam qui diligit proximum: legem impleuit. *Rom.13.*
Nec interim venit culpandus Iacob, qui abſente Socero ſolum mutauit. Siquidẽ ſimilem gratitudinem a labam non ſuſceperat, quin potius decies ab eo ſpe mercedis fuerat defraudatus. Non legitur autem Ietro iniuriam aut damnũ Moyſi intuliſſe, ſed pari comitate dimiſit qua eum, cum meditaretur fugam, ſuſceperat: ſicut in textu ſequitur. *Vadam & reuertar &c.* Non quod illum Ægiptus delectaret, aut domus Ietro *Gen. 31.*
diſpliceret. Nec quia ſuper populum Iſrael aucuparetur principatum: quem iam contempſerat diuinæ legis gratia. Sed vt videret, viuerent fratres ſui nec ne. Quoniam frugi miniſtri ſeu Paſtoris eſt vitam eorum diligere, quos ſuæ curæ nouerit eſſe cõmiſsos. Et id quidem maximè hijs cõgruit: q domeſticos habẽt & parẽtes. Fomẽtũ voluptatis potuit attuliſse Iacob, quod Ioſeph fili' eius in omni terra Ægipti dñaretur, ſed dũtaxat ſufficientiã illi attulit quod viueret. Atque vt veritas figuræ reſpõdeat. Chriſt' oues nonagintanouẽ reliquit in deſerto, vt ouẽ perdi-

tam quereret, & veniret vt vitam haberet &
Luc. 15. abundantiùs haberet, Moyſes reliquit Ietro,
Ioan. 14 * qui ſuperfluus dicitur, quia ſic ſuperfluum
* *Ambr. lib.* 1. *de Cayn & Abel. cap.* 6. reliquiſſe perhibetur, vt nulla ratione inditam ſignorum poteſtatem detegerit, vt iactantia quadam non dixerit. Vadam liberaturus fratres meos in manu valida, quoniam in rebus arduis confidentia Dei promittentis: non iactantia verborum opus eſt. De occiſo leone Samſon mel porrexit, ſed habitam contra leonem victoriam: patri & matri indicare
Iudi. 14 noluit. Saul pro aſinis patris ſolicitus, patruo intimauit aſinas eſſe inuentas ex Samuelis oraculo, ſed de regno ſibi oblato, & accepto: nichil omnino locutus eſt, Chriſtus omniũ humillim⁹ eloquia ſalutis deprõpſit ſicut mel dul-
1. *Re.* 10. cia, & animas perditas inuenit, quæ peccati ſtoliditate: appoſitæ cenſentur aſinæ, leoniſque occiſi myſterium, & regni adepti, ſignorumque virtutem: non paſſim diuulgauit. *Vade in pace.* Pax illi optanda eſt qui incolumitatem populi
Luc. 2. deſiderat, Hinc iuſt⁹ ille ac timoratus Symeon, merito in pace dimitti precabatur: qui conſolationẽ Iſrael expectaſſe perhibetur. Nec Chriſtus aliter deſtinauit Apoſtolos omni creaturæ prædicandi cauſa: niſi pace præmiſſa. *Dixit ergo Dominus ad Moyſem in Madian, vade & reuertere in Aegiptum, mortui ſunt omnes qui querebant animam tuam.* Conſidera mœrcedem pietatis in Moyſe qui vir erat mitiſsimus. Cum enim Socero vale faceret, non dixit. Reuertar in Aegiptum vt videam an iuſta

vltione interierint, qui querebant animam meam, ſed an viuant fratres mei. Necdum nouerat inimicos mortem obijſse. Nec quidem deſiderauerat. Ob id meretur audire a domino, mortui ſunt qui querebant animam tuam. Et eo certaminis genere veniunt profligandi hoſtes Eccleſiæ, & fidelium aduerſarij, vt non tam eorum ruinam quam conuerſionem exoptemus, ne ſaltem fucatis eorum verbis, necentur hæreſibus: qui infirmiores ſunt, mediocres dubio non hereant, firmioreſque non fatigentur. Dauid de bello viuũ Abſalonem ſibi reſeruari præceperat: interim de filio glorioſam victoriam, a domino conſequitur. Non enim timẽda eſt perſecutorum rabies, ſi fraterna dilectio apud nos perſeuerauerit. Noſtris temporibus plerique Eccleſiam reliquerunt: quod perſecutionibus eam obnoxiam cernerent. Sed reuertantur in ægiptũ vbi Eccleſia affligitur. Re uertantur inquam in Eccleſiam quæ in ægipto eſt. i. in hoc mundo tenebroſo, vbi mortui ſunt qui querunt animas Catholicorum, vt hæreſi & perfidia intereant. Et quemadmodum Rege Ægipti mortuo populus nondum quieuit, nondũ inimicis caruit, & ſi non tantis quantis hactenus: nichilominus Eccleſiæ aduerſarij deerunt nunquam. Interim mortui ſunt qui querebant animã Moyſi. i. qui legis querebãt ſuppreſſionẽ, ita vt faciliore congreſſione nunc quẽ olim dimicandũ ſit. Qm̃ Chriſtus interfecit inimicitias in ſemetipſo: qui in Oſea mors mortis declaratur. Reuertere ergo in ægiptũ mortui ſunt em̃

1. Re. 18.

Epheſ. 2

qui quærebant animam tuam id eſt iam non de tua agitur vita, ſed fratrum tuorum perſeuerat afflictio. Nec in te imminet perſecutio, ſed in gregem:pro quo teipſum deberes. Quia bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis. Ne
*Ioan.*10 expaueſcas igitur illuc proficiſci,quia nec capillus de capite tuo peribit. Eo namque docemur Deum nil vltra vires præcipere. Si tamen contingat perſecutionem corporum imminere, interim verbi Dei precones ab officio deſiſtere nō debent. Quoniam mortui ſunt qui quærebant animam eorum. i. opera Chriſti factum eſt, vt
*Mat.*10 animas fidelium quæ in manu Dei ſunt : nemo rapere poſſit. Tyrãnus,querere poteſt animam Martyris, ſed non poteſt inuenire, quia occiſo Martyris corpore,non habet ampliùs quid faciat. Imo querendo animam Martyris quē occidit,occiditur & ipſe, non corpore ſicut Martyr, ſed anima:quod longè grauiùs eſt. *Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos & impoſuit eos ſuper aſinum, reuerſuſque eſt in Ægiptum portans virgam Dei in manu ſua.* Futuros triumphi teſtes vxoris & filios ducebat Moyſes,nolens a ſua ſeparari familia.Nec per eum ſtetit quominus in Ægiptum deſcenderint.Siquidem ob ſexus imbecillitatem, & inualidam ætatem : aſini mini-
*Rom.*15. ſterio iuuabat.Quia in via Dei debent firmiores infirmitatē imbecilliū ſuſtinere. Nec abs re illico dicitur quod portaret virgã Dei in manu,
2.*Co.*12 vt doceamur ob datam poteſtatem non fieri debere inſoleſcentes,quia poteſtas datur in ædificationem, & non in deſtructionem. Nec quia

vir vxoris dominatur, ideò debet eam affligere & ad eam amarus eſſe ſed eam diligere: ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Nam exprobratur a domino per Prophetam paſtoribus, quod cum auſteritate imperarent, nec conſolidaſſent quod infirmum fuerat. Inſuper eorum incumbit officio virgam Dei habere in manu, id eſt iuſticiam in operibus obſeruare qui cæteros habent ducere, ne cum abhominantur ydola: ſacrilegium committant. *Dixique ei dominus reuertenti in Aegiptum. Vide vt omnia oſtenta quæ poſui in manu tua facias coram Pharaone.* Grandis ſacerdotũ eſt poteſtas, qui cum ſacramentorum cenſeantur miniſtri: veluti tamen factores eorum habentur, tametſi, non inſtitutores. In cuius rei typum, Moyſes facere iubetur oſtenta, quæ Deus poſuit in manu ſua, cum tamen reipſa non fecerit: ſi cauſam effectricem ſpectemus. Nemo ambigit panem virtute propria ſacerdotis in corpus Chriſti non tranſſubſtantiari. Id tamen faciat iubetur a Chriſto. Hoc (inquit) facite in meam commemorationem. Satis enim feciſſe dicitur: qui miniſterium compleuit. Nemo igitur excãdeſcat, ſi ſacerdotem arcanis Chriſti verbis ſacrũ eiuſdem corpus conficere dixerimus. Quod ſi oſtentorum [quæ non niſi pauorem pariunt] negligentia interdicitur Moyſi. Cur non magis eorum quæ non niſi amorem, & charitatem ſpirant? i. anguſtiſſimi ſacramenti Euchariſtiæ, cuius mirabilia etiam Regibus, & Principibus minimè debent retegi. Sed (exhortationis gratia] quid eſt quod dominus Deus iuſſerit tã exactè

Colloſ. 3.
Ephe. 5.
Eze. 34
Rom. 2.

Moyſi vt faceret omnia pottenta coram Pharaone quæ poſuerat in manu eius, niſi quatenus doceantur diuini verbi præcones vt manifeſtent portenta etiam omnia, maximè ad timo-
1.Re. 16 rem, & pauorem inducentia: Regibus & Principibus, qui manſuetudine verborum non ſolent ad iuſticiam adduci, ſed metu, & tremore. Samuel Saulem, Natam, Dauid, Daniel, Nabucho-
Dan. 4. donoſor, oſtentis & mirabilibus terruerunt. Apoſtolus catenis vinctus, fœlicem iudicem tremefactum reddidit, de iudicio differens. *Diceſque ad eum. Hæc dicit dominus, filius meus Primogenitus Iſrael. Dixi tibi dimitte filium meum vt ſeruiat michi & noluiſti dimittere eum, ecce ego in-*
Act. 24. *terficiam primogenitum tuum.* Cum audis tum temporis Iſraeliticum populum Dei primogenitum eſſe, noueris fidem iam operari, quia ob id potiſſimum primogenitus erat populus ille quod Chriſti iam corpus erat [qui primogenitus eſt Dei] in quem credentes, poteſtatem habebant filios Dei fieri, & non ſolũ filios ſed & primogenitos, quod gloriæ Chriſti promiſſionem: in Abraham ſuſceperant. Nec moueat quenquam, quod Chriſtus nondum eſſet incarnatus. Quoniam Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, non quo incarnatus: ſed quo creditus. In-
Ioan. 1. ſuper Primogenitus dicebatur, non quia de Ade Primogenito, qui fuit homicida, duxiſſent originem: Siquidem de Seth ſuccedanea generatione prouenerant. At verò Primogenitus merito cenſetur, quod extincto Cayno, & Abele defuncto, loco eius naſcitur, cui

merito primogenita debebantur tametſi natu minor,ſed iure & Dei gratia maior erat, quod eius munera:accepta Deo fuiſſent: contemptis muneribus fratris, Seth ergo tanto ſtudio Deũ coluit, vt multis ſeculis eius poſteri filij Dei dicerentur, quibus a religione & fide deficientibus, Noe ſolus iuſtus cenſetur: de cuius filio nomine Sem, oritur Abraham filius Tharæ, qui ſcilicet Abraham, declinantibus ad idololatriam parentibus: inconcuſſæ fidei extitit obſeruator. Et tandem eius filij, Primogenitus Dei factus, quandiu fidei & cultui diuino adhæſerunt. Et ea potiſſimum ratione dicebat dominus. *Primogenitus meus Iſrael.* Nec id quidem caret ſolatio, quod hij qui tandiu affligebantur, nomẽ tamen nequaquam perdiderunt. Flagellat enim omnem filium quem recipit. Quis ergo nunc ambigit eos primogenitum Dei dici, maximè Iudæis pulſis, qui Chriſto nomen dederunt? quibus datur non ſolum vt in eum credant ſed etiam vt pro illo patiantur. Imo idcirco ſumus primogenitus Dei, vt ſicut priores ſumus in promiſſionibus, poſteriores in afflictionibus eſſe non debemus: de quibus tamen liberabimur. *Dimitte filium. &c.* Vult dominus ſibi, vt iuſtum eſt, a filijs ſeruiri, vt ſeruientes, filiorum libertatem acquirant. Alioquin vice commutata in miſeram & perpetuam incidant ſeruitutem: quibus merito exprobratur a domino. Si ego pater veſter, vbi eſt honor meus? Et proculdu-

Gen. 4.

Heb. 12.

Phil. 2.

Mala. 1.

bio dignum eſt , vt primogeniti prærogatiuam habentes a patre : ab eo non degene-
Mat. 11 remus,ſed fratris noſtri (qui primogenitus eſt in multis fratribus] ſequamur veſtigia,qui quæ placita erant patri : faciebat ſemper. O mundi
Ioan. 3. admiranda ingratitudo, quem ſic Deus dilexit vt filium ſuum vnigenitum daret : vt omnis qui credit in eum non pereat. Et mundus adeò ingratus eſt,vt grande nefas exiſtimet, ſi quiſpiam primogenitum ſuum ſacerdotio aut monachatui deputarit, cum religioni olim tributum ſit vt primogenitus diuinis , & perpetuis obſequijs manciparetur. Alioquin redimendus veniebat. Doceantur hij maximè quos potentat⁹, aut principatus attingit ſublimitas , vt ita pri-
2. *Re.* 13 mogenitis non afficiantur : quatenus per eos Deus non blaſphemetur. Non enim mediocre peccatum commiſit Rex Dauid,qui noluit contriſtare ſpiritum filij Ammon:eo quod eſset illi primogenitus. Præterea. Ni rebeccę obſtitiſset
Gen. 27 prudentia. Iſaac Eſau prophano indebitam benedictionem (quod primogenitus eſset] contuliſset.Doceantur hîc velim Reges,ne odio laborantes aut addicti lucris, arceãt gregem fidelem a diuinis obſequijs. Diſcant quæ Dauidem
Pſal. 25 benemeritum quod decorem domus Dei dilexerit:& locum habitationis gloriæ eius filioque
3. *Reg* 6 ſuo Salomon præparata reliquerit, de quibus templum mirificum extruxiſse legitur. Nec vſpiam Regi proſperè contigiſse legitur , cuius ſtudio & arte diuina ſolemnitas ceſsauit. Nabuchodonoſor templum theſauro ſpoliatum

exurens, feras in paſtu habuit, per ſeptennium. Dani.4.
Anthiocus tẽplo Dei infeſtiſſimus, proprij corporis fœtore intollerabili fatigatus: triſtẽ emiſit ſpiritum. Herodes cui ob crimina nimia regnũ 2.Ma.9
cœlorum non debebatur, regnum temporale longęuum habuit, quod vt teſtatur Egeſippus, *
templum auxerit, ditaueritque. Nouit Domin' li.ca.35
qua pœna plectendi veniant, qui occaſione leuiſſima templa deſtruunt: fatigantque ſimpliciũ & infirmorum qualẽcunque fidem. Dimittant ergo primogenitum Dei.i.populũ Chriſtianum vt ſeruiat Domino, ne blaſphemare eum compellant tantis oneribus opprimentes, Alioquin longè Pharaone immaniores cenſebuntur. Si quidẽ ſolis Hebræis oneroſus erat non Ægiptiis. *Ego interficiam primogenitum tuum.* De interfectione primogenitorum fuſiùs in ſequentibus dicetur. *Cumque eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit illi Dominus: & volebat occidere eum.* Certum eſt Moyſem vno plures filios habuiſſe. Nã ſequens litera duos commemorat. Tamen de vnius circuncisione nunc agitur. Crediderim ſanè iam priorem circunciſum Secundum vero remanſiſſe incircunciſum, forſam matre obſiſtente Moyſeque conniuante: aut alia ratione nobis occulta. Voluit tamen Deus occidere Moyſem, quem tanta familiaritate dignum fecerat. Iuſtus enim eſt Dominus, & ſepſum negare non poteſt. Atqui fieri nequit, vt ſacramentorum negligentia immunis relinquatur, illius maximè, quod ita neceſsarium eſt vt eo ſublato:

ſalus non habeatur. Nonne dignus eſt morte qui alium interficit? Morti igitur exponebatur puer Moyſi incircunciſus moriens, quemadmodum nunc fit: cum baptiſmus negligitur. Sicut plerumque fit a miniſtris hæreticorum modernorum, qui iuſtificationem falſam in vteris matrum texentes: neceſſitatem baptiſmi negant, exponentes pueros priuationis gloriæ periculo. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circuncidit præputium filij ſui.* Non dubito Sephoram ex viſione diuina timuiſſe, non ſolum marito, verumetiam ſibi ipſi, quæ non ex ignorantia præcepti circunciſionem omiſerat. Alioquin, cur illico, id eſt, ſine mora petrã acutiſſimã tuliſſet? Hoc certè in priore filio didicerat. Videns igitur maritum mortis periculo expoſitum, non expectauit (quod honeſtiùs fuiſſet) vt Moyſes circuncideret filium ſuum, ſed illamet circuncidit: cognoſcens ſalutare & neceſſarium filio. Hinc a principio naſcentis Eccleſiæ, tantæ neceſſitatis exiſtimatum eſt baptiſma (quod circunciſione figurabatur) vt mulier cogente neceſſitate poſſit baptizare: quod ex facto Sephoræ, non incongruè colligi poteſt. *Tetigitque pedes eius & ait. Sponſus ſanguinum tu michi es.* Pedum tactu, humilem diſcedendi petitionem a marito indicabat, quæ tamen inde cum filijs poſt triumphum de Pharaone reuerſa eſt: non abſque myſterio. Quoniam plebs a Deo olim aliena cultum Dei deteſtabatur: maximè circunciſionem horreſcens. Tamen poſtquam

Chriſtus de Satana, Pharaone adumbrato triumphauit, tunc reuerſa eſt Sephora id eſt, gentilitas, & quæ priùs indigna erat, facta eſt digna, quæ non ſolum alienum ſanguinem id eſt, martyrum non horruit: verum pro Chriſto proprium libenter effundendum obtulit. Nolebat priùs ſequi, ob id quod ſponſus ſanguinum eſſet, nunc Chriſtum ſequitur, maximè quod ſponſus ſanguinum ſit: quia Chriſtus mundauit eam lauachro aque in ſanguine ſuo. Illam igitur quam ſanguis ſepararat, nunc ſanguis copulat: quia ſine ſanguinis effuſione: non fit remiſſio. Nec Eccleſia tenet Chriſti pedes vt ab eo ſeparetur: ſed illum ſequatur. Quid eſt autem tenere pedes Chriſti? Verum, imitari paſſionem eius. Quia ſicut pedes extrema ſunt corporis, ita paſſiones & afflictiones vitæ mortalis, Chriſti extrema fuerunt opera, quorum ſi fuerimus ſocij, erimus, & eius conſolationum: vt cum eo inæternum regnemus in ſecula ſeculorum, Amen.

Ephe.5. *Heb. 9.* *1.Cor.1.*

Homilia Vndecima.

DIxitque dominus ad Aaron. Vade in occurſum Moyſi in deſertum. Audiuimus heri Moyſem vxoris conſortio deſtitutum religionis gratia, & liberorum ob id apud dominum aliud obtinuit ſolatium, vt collegam & ſocium ſuæ legationis fratrem haberet ante annos non paucos

inuiſum: quod nouum gaudium ſolet afferre. Iacob ſolito lętior factus eſt, ſciens Ioſeph viuere: quem tanto tempore perdiderat. Eſau vitam fratris Iacob appetens, poſt viginti annos comiter, ac feſtiuè ſuſcepit, & poſt longam abſentiam: eius illectus eſt intuitu. Vide quantum lucri afferat vxoris & parentum propter Deũ cõtemptus. Moyſes magis elegit ab vxore ſeparati quàm eam detinere, quæ non niſi pauore & tremore cultũ religionis obſeruabat. Et quod pleriſque fit tedio: Moyſi ſane erat ſolatio. Nam grauiſſima ſarcina, fœmina eſt viatico & præſtat interdum ſolus eſſe: quàm onerosa ſocietate
3.Re.19 potiri. Cum tamen ſolus non ſit qui Deum &
Heb. 11. Chriſtum comitem habet. Hoc loco diſcamus
4.Re.6. nunquam Deum ſeruos ſuos deſerturũ. Siquidem Helias ſolum ſe Prophetam remanſiſſe rebatur: ſed ex diuino reſponſo didicit ſeptem milia virorum, vero cultui reſeruata. Puer Helizei exiſtimabat Helizeum auxilio deſtitutum, ſed eo orante vidit puer angelicum exercitum ad auxilium Prophetæ paratum: aduerſus Syri-
Gen. 13. os. Magna igitur merces ei promittitur a Chriſto, qui ſui gratia parentes, fratres, ſorores, & vxorem reliquerit. Nonne Abraham conſortio Lotz deſtitutum ſolatur dominus ex futurorũ promiſſione? Iubetur Aaron ire obuiam Moyſi, maximè quod frater eius eſset, & ipſe futurus ſacerdos. Quia qui ad hunc gradum euehuntur, debent priores hijs occurrere qui negotiũ habent contra Satanam. Sed prohpudor, cernuntur hodie pigriores. Cum tamen in hac præſentis

tis temporis calamitate debeant Sacerdotes & Monachi Ægiptum relinquere, & ire obuiam Moyſi,id eſt, ſuccurrere principibus qui vnitate & paritate fidei fratres ſunt, precibus & lachrimis eos iuuãtes vt vtriſque armis ſimul iunctis, pereat Pharao & eius gens & populus,id eſt angelus Satanæ cum complicibus ſuis, vt cultus Dei ab omni iniuria defendatur: & populus Dei liberetur. *Qui perrexit obuiam ei in montem Dei: & oſculatus eſt eum.* Iſte eſt Aaron cuius os aperuit *Pſal.* 14
Dominus. Et illi ſoli, Dei montem conſcendere merentur: quorum ora aperiuntur a Domino. Hij inquam requieſcent in mõte ſancto, qui loquuntur veritatem in corde ſuo: & non egerunt dolum in linguis ſuis. Sed altiùs conſcendamus. Certum eſt Moyſem eſſe typum Chriſti qui parentes proprios verbo Dei poſtpoſuit, & a Sy- *Mat.* 19.
nagoga derelictus eſt. Et quemadmodum iubetur Aaron ægiptum relinquere vt obuiam occurrat Moyſi, ita Dominus Deus dedit Apoſtolos filio ſuo, quos elegit de mundo tanquam de ægipto qui omnia reliquerunt, & quorum ora pater cœleſtis aperuit, & obuiam Chriſto occurrerunt ad montem Dei poſtquam ſecuti ſunt eum per deſertum,id eſt poſtquam omnia deſeruerunt: & contempſerunt. Vis ſcire quomodo ſecuti ſunt eum per deſertũ? Audi quid dicunt. Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? ſed quo pacto ad montemDei peruenerint diligenter auſculta. Vos, inquit Chriſtus, qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim

& tunc erunt in monte cum eo iudicantes. Occurrerunt in monte quando turbis manentibus in campeſtribus, Apoſtoli montem con-
Mat. 5. ſcenderunt, & eius fruiti ſunt ſermone. *Et oſculatus eſt eum.* Nemo Chriſtum oſculari poteſt quandiu in Ægipto manſerit, quandiu luto & oneribus fuerit deuinctus, ſed cum peruenerit ad montem Dei. Nam oſculum non ſolum dilectionis verumquidem & familiari-
Cantic. 1 tatis verum ſignum eſt. Legitur Iudas oſculo filium hominis tradidiſſe quod cæteros Apoſtolos feciſſe non ambigimus. Sic enim a Chriſto edocti creduntur, nam oſculum primum Eccleſiæ deſiderium eſt, Oſculetur (inquit ad Chriſtum) me oſculo oris ſui. Non igitur temerè Aaron oſculatus eſt Moyſem. Nam iuſti-
Pſa. 84 cia ſignatur in Moyſe pax verò in Aarone, & vtrumque tunc adumbratum eſt, quod tempore Chriſti completum fuit. Quia iuſticia & pax oſculatæ ſunt, quando morte Chriſti iuſticia per lignum ſancte Crucis facta: pacem in-
Rom. 5. ter Deum & homines attulit. Quoniam cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per [illegible]tem filij eius. Oſculum ergo Moyſi & Aaron, noſtræ cum Deo reconciliationis typus erat, de quo ſi morum inſtructio requiratur, tunc grande reformationis Eccleſiaſticæ exordium eſt, quando Moyſes & Aaron ſeſe oſculantur, id eſt, quando magiſtratus cum clero, & iudices cum ſacerdotibus coëunt in vnum, & ſeſe oſculantur. *Narrauitque Moyſes Aaron omnia verba Domini pro quibus miſerat eum & ſi-*

gna quæ mandauerat. Secreta retegere amicorum eſt. Iam, inquit Chriſtus, non dicam vos ſeruos ſed amicos quia quæcunque audiui a patre meo nota feci vobis: quibus datum eſt noſſe myſterium regni Dei. Hij multis ſequentibus turbis ſoli montem conſcenderunt & viam, qua ad gloriam peruenitur audierunt, reipſa Eſaye vaticinium complentes. Venite aſcendamus ad domum Domini Iacob, & docebit nos vias ſuas. Quo docemur ad montem Dei aſcendere, id eſt, quæ ſurſum ſunt quærere, vt noſtra conuerſatio ſit in cœlis, quia niſi Aaron occurriſſet Moyſi in monte, niſi eius ſublimem ſenſum vidiſſet & arduum, niſi excelſam eius intelligentiam perſpexiſſet, nunquam ei locutus fuiſſet verba Dei, neque virtutem ſignorum prodigiorumque tradidiſſet: neque participem eum tanti myſterij feciſſet. Quod tunc in figura factum eſt, fiat in nobis reipſa & veritate, vt de ægipto liberati occurramus verò Moyſi in monte Dei, id eſt, Chriſto Domino in nubibus in aëra, vt ſic ſemper cum Domino maneamus, & non ſolum eius verbis: verumetiam ſignis veritatis gaudeamus. *Veneruntque ſimul, & congregauerunt cunctos ſeniores filiorum Iſrael.* Cum ſimul duo veniſſe hij fratres leguntur, noueris ſalutationem illam caruiſſe fuco, & dilectione plenam, quæ vtique non fuit perfunctoria: nec oſculum fictum. Legimus quidem Eſau ſalutaſse Iacob non ſine pacis ac dilectionis ſpecimine, tamen non venerunt ſimul ita Iacob agente, ne aut

Ioan. 15. *Mat. 5.* *Eſaye. 2.* *Collo. 3.* *Philip. 3* *Origenes hom. ter. in exod.* *1. Teſſ. 4* *Gen. 33.*

veteris odij recordaretur Eſau, aut ne inter fratres diuturnior habitatio: ſcandalum fidei pareret. Moyſes autem & Aaron quos nunquam diſcordia ſeparauerat venerunt ſimul, vt frater adiutus a fratre: ciuitatem, id eſt, populi vnitatem firmiorem redderet. *Et congregauerunt cunctos &c.* Quod fieri non potuit niſi mutua pace & concordia fratrum. Ignotus erat Moyſes in Ægipto: in quo annis quadraginta non manſerat. Si enim poſt tam ſtupenda miracula datus eſt obliuioni apud populum quadraginta diebus dumtaxat abſens, potuit equidem ignorari poſt quadraginta annos. Aaron ergo Moyſem populo manifeſtat: Moyſes verò Aaronem & populum defendit. Cur ergo hodie populus qui nomen chriſtianum iactat, non congregatur nec adunatur in vnitate fidei, niſi quia Moyſes & Aaron non veniunt ſimul, nec ſeſe oſculantur oſculo pacis [ſine qua fides inualida eſt] nec occurrunt in montem Dei? Non eſt hodie hominum genus quod magis ſacerdotes deteſtetur, quàm hij qui titulo nobilitatis gaudent, qui poteſtate & principatu donantur. Veniant, veniant igitur ſimul, & tunc congregabitur populus Dei. Vis videre diuiſionem populi ex maiorum diſſidio ortam? Reges Iuda (ſi tres excipias) & omnes Reges Iſrael idolis ſeruierunt, nec venerunt ſimul cum ſacerdotibus & Prophetis, ob id populus in duas claudicabat partes, & erat diſperſus tan-

quam oues non habentes paſtorem. *Congregauerunt cunctos ſeniores, &c.* Non plebem totam quæ propter multitudinem non ſatis ſibi conſtat, quod confuſo arbitrio nititur: ne etiam indiſcriminatim arcana, & cœleſtia miſteria cuiuis detegenda videantur. Satis eſt quod ſenioribus (in quibus populus continetur) reuelentur. Quo docemur, ad ſeniores id eſt prꝗlatos Eccleſiæ pertinere, & non ad plebē, ſi Epiſcopus, Doctor, Prædicator, legitimi habeātur. Ne interim credatur Lutero, qui hac dementia laborauit, vt de religione diſſerenda: populus iudex veniat expectandus. *Locutus eſt omnia verba Aaron, quæ dixerat dominus ad Moyſem. Et fecit ſigna coram populo: & credidit populus.* Non poteſt verbi Dei populus eſſe ieiunus, quem in vnum legitimā Antiſtitum auctoritas adunauit. Hij verò qui ſpreta Eccleſiæ poteſtate congregantur, poſſunt quidem audire verba Dei: ſed non omnia. Ille autem omnia verba Dei ſolus loqui poteſt, qui genuinum ſenſum falſo non mutat, nec nouum excogitat, nec partem ſenſus ſubticet. Arrius dicens Patrem filio maiorem, verba quidem Dei loquebatur, ſed non omnia, quod indiſcriminatim filium ſecundum naturam humanam: non autem diuinam intelligeret. Et quotidiè hæretici verba loquūtur quę dixit dominus ad Moyſem & Prophetas ſed non omnia, ſi Dei inſpirātis intentionem ſpectes: quam ſuis erroribus ſepeliunt. Neque hij, neque nos ambigimus Chriſtum accepiſſe panem & dixiſſe. Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum, vterque

noſtrum ingenuè fatetur. Nos quidem fideliter omnia loquimur verba Chriſti ſimpliciter cum eorum virtutem manifeſtamus, & ſine fuco talia verba ſuſcipientes: dicimus Chriſtum tunc corpus ſuum dediſſe, illi verò ſimilia verba ſuſcipientes perinde atque nos, ſed non virtutem, panem dumtaxat (ſi ſubſtantiam ſpectes) dediſse autumantes. Nos ergo omnia: illi vero tantum verborum partem populo pronunciant. Nec dicitur Aaron dixiſſe quecunque dixerat illi Moyſes, ſed quecunque dixerat dominus ad Moyſem: quoniam non in gratiam fratris tantum, ſed Dei, retuliſse credendum eſt. Non enim quia Eſayas aut quiuis Apoſtolorum locuti ſunt. Ideo eorum verba credimus & populo proponimus, ſed quia per eos ſpiritusſanctus: tanquam per organa locutus eſt. Cur igitur non ita ſaltem credemus Eccleſiæ vniuerſæ, quæ pluribus ſuppoſitis conſtat, maximè quæ errare neſcit, vt pote veritatis columna, & firmamentum, quam paulo qui vnica perſona eſt? Cum paulo fides non adhibeatur nec ei ſimilibus, quod
1.*Thi.* 3 homines ſint. Alioquin eſset credendum
2.*Pet.* 2 omnibus. Sed ob id Prophetis, & Apoſtolis creditur: quia ſpiritu ſancto afflati locuti ſunt.
Pſal. 15. *Et fecit ſigna coram populo.* Quoniam omnis homo mendax id eſt inſtabilitati obnoxius eſt: decipere vtique & decipi poteſt. Ne igitur nouo dogmatis genere populus a vero abduceretur, diuinis præconibus edendi ſigna

poteſtas data eſt, vt ex ſupra naturam factis per homines: hominibus crederetur rem futuram prædicentibus ſupra curſum naturæ fiendam. Vbi autem adoleuit doctrina & ex ſignis retro actis multiſque ſeculis fides curſum cœpit, iam non ſunt requirenda ſigna, nec prodigia. Alioquin magnum fieret & ipſe prodigium: qui mundo credente non crederet. Merito ergo ab hijs ſigna requirenda, qui de corde ſuo & non ex Deo excogitatam doctrinam proferunt, etiam ſi nullæ ſacræ ſcripturæ paſſus inculcarent, ad quam † non eſt prouocandum aduerſus hæreticos. Sic tamen ab hijs requirenda ſunt ſigna, non credendi gratia, ſed exprobrandi quod ſuam doctrinam ſignis confirmare non poſſint. Siquidem falſorum ſignorum Deus non eſt approbator. Quod ſi contingat, vt hæretici ſigna edant, quemadmodum in Antichriſto futurum credimus, nec ſic tamen cenſendi veniunt fide digni, qui ſi fecerint: non tamen in nomine domini. At dices. Quid eſt facere ſigna in nomine domini? Diſce a Chriſto, & Apoſtolis. Nam Chriſtus ſanans paraliticum in ſignum poteſtatis remittendi peccata dicit. Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatẽ in terra, dimittendi peccata: tibi dico ſurge. Quandoquidẽ, ſi quiſpiam hæreticorum talibus vteretur verbis. Vt oſtendam corpus Chriſti nõ verè & corporaliter cõtineri, tibi defuncto pręcipio, vt ſurgas & ambules, etiã ſi Antichriſtus eſſet operã luderet: quia impoſſibile eſt Deum mentiri. *Et credidit populus.* Non

Augu. de Ciui. Dei lib. 22. ca 8.

† *Tertul. de præſcri. hæretic.*

Mat 24

Luc. 5.

ſolum quia locutus eſt omnia verba quæ locutus fuerat dominus ad Moyſem, ſed quia ſi-
Heb. 6. gna fecit. Satis iam oſtendimus non eſſe opus ſignis, & miraculis ſi temporalia ſpectes. At Doctori cuius, eſt verba legis diuinæ populo proponere, opus eſt quidem ſignis, & non ſolum loquatur vt populus credat, ſignis inquam quibus vita ſancta demonſtretur, vt tali exemplo, tanquam miraculo confirmetur. Grande ſiquidem eſt ſignum continentia libidinem propulſare, ebrietatem ſobrietate, eleemoſina auariciam, patientia iracundiam. Nam rectè miraculum dici poteſt, quod vires admirantis exuperat. Quis ergo non dixerit miraculum inter mulierum conſortia caſtè viuere, inter honores humiliter, inter exquiſitos cibos ſobriè? & vt tandem finiam, inter conuicia patienter? Nam qui diuinum miniſtrat magiſterium, talia conſortia omnino vitare non poteſt: cuius vita lucerna exemplaris eſt. Sic lucebat corpus ſuum caſtigando Apoſtolus, & in ſeruitutem redigendo, ne fortè cæteris prædicando reprobus efficeretur. Quis tunc dubitat illum magnum fecisse ſignum? Ille igitur populo omnia domini verba refert, ſi ſincerè & verè nun-
1. Cor. 9. ciet nichil operãdo: quod auditores a ſua reuocet doctrina. Et ſignum ingens facit, ſi in moribus reprehenſione careat. *Audieruntque quod viſitaſſet dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem, illorum & proni adorauerunt.* Nondum viderant quod viſitaſſet, ſed audierunt, quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Chri-

ſti. Qua igitur venia digni ſumus, qui quotidie experimur dominum viſitantem & facientem plebis ſuæ redemptionem, & nos tamdiu ad pœnitentiam expectantem, cui tamen nullam gratitudinem rependimus? Illi quorum pleri- *Rom.* 10 que proſtrandi erant in deſerto ob incredulitatem: proni adorauerunt. Nunquid non condēnabunt nos in iudicio? Caueamus igitur ne illi, qui fuerunt nobis exemplo virtutis, ſint aliquando condemnationis. Sequamur eos bene incipientes, ſeparemur ab hijs qui infœliciter finierunt, quorum exordia fuerunt fides auditę doctrinæ, honor Dei, & feruor ſpiritus, fides namque quia crediderunt, honor quia adorauerunt, & feruor, quia proni adorauerunt quod minimè feciſſēt: niſi fides præceſſiſſet, quæ in ſe occulta eſt, adoratione tamen & pronitate [quæ humilitatis indicia ſunt] prodire cognoſcitur. Nam ſigna fidei quæ ſunt, niſi ſigna externa? vtpote genuflexio, extenſio brachiorum, pectoris tunſio, eleuatio oculorum, depreſſio capitis, ac exemplo Chriſti totius corporis proſtratio. Vbi verò nichil huiuſmodi apparet in homine, non poteſt ſolidæ fidei teſtimonium colligi: quod ſuſpicione careat, multominus in quo ſacramentorum Eccleſiæ deprehenditur contemptus. Nouerimus proculdubio Eccleſiam pro defunctis dumtaxat exorare qui nos prçceſſerunt: non ſolum cum fide, verùm & cũ ſigno fidei. Nec videmus verecundiores ad feruoris ſigna demonſtranda: quàm hij qui vanam iactant nobilitatem. Cum tamen Abra-

ham ex quo Reges & Prophetæ orti ſunt,& qui pater fidei nuncupatur, per externa humilitatis opera fidem ſuam demonſtrarit. Imo [quod digniùs eſt] ipſemet Chriſtus filius Dei non erubuit talibus, & pluribus ſignis religionem quam nobis reliquit adornare. Et nunc prohpudor, plerique pro indecoro ducunt ſi quid viderint fieri in gratiam Chriſti quod literis non fuerit demandatum, quaſi quod impenditur: aduerſatur verbo Dei. Dicant ego. Quæ

Mat. 6. ſcriptura docuit Abraham, vt pronus adoraret? vel populus iſte? quonam interueniente præcepto? Nullo certè. Nichil enim poteſt perperam excogitari quod Deum non auerſatur, ta-

Luc. 2. metſi non fuerit ex literis depromptum, cum fides & probi mores: longè præceſſerint ſcripturam. Non ſimus ergo minores imo nec pe-

Galat. 1. iores Iudęis, quia niſi abundauerit, iuſticia noſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſeorum: non intrabimus in regnum cœlorum. Sed benedicamus nos domino Iſrael quia viſitauit plebem ſuam per humanitatem aſſumptam & fecit redemptionem noſtram vt nos eriperet de ſeculo nequam, vt in terram fluentem lacte & melle, transferret, id eſt in regnum dilecti filij ſui. Vt cum eo tandem: in æternum regnemus: Amen.

Homilia duodecima.

Poſt hæc ingreßi ſunt Moyſes, & Aaron. & dixerunt Pharaoni. Hæc dicit dominus Deus. Dimitte populum meum vt ſacrificet michi in deſerto. Rogate [inquit Chriſtus] dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam. *Luc. 10.* Meſſis quidem populus, operarij verò doctores ſunt qui falce diuini verbi ſeparant animos populi a terra id eſt a deſiderijs terrenis, vt in horreis cœleſtibus collocentur. Quia non ob aliud Doctores inſtituti noſcuntur, niſi vt fide præditi conuerſationem habeant in cœlis, tametſi verſentur ad huc in terris. *Mat. 6.* Quia quandiu ſumus in hoc ſeculo, vix locum quietum habemus ad ſeruiendum Deo. In cuius rei typum. Nolebat Moyſes vt in Ægipto populus ſeruiret domino, ſed vt exiret in deſertum Deo ſacrificaturus. Siquidem donec in ſecularibus manemus negotijs (quæ ſignantur Ægipto) ſeruire Deo liberè non poſſumus. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire. Exenndum igitur nobis eſt de Ægipto, relinquendus eſt *1. Ioh. 2.* mundus ſi voluerimus Deo ſeruire, relinquendus, inquam, non loco ſed animo, non itinere proficiſcendo: ſed fide proficiendo. Audi hæc eadem Ioannem dicentem. Filioli nolite diligere nundum: neque ea quæ in mondo ſunt. Quia omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ ſi ſpectes reprobos, nō ipſam machinā quā recreauit Deus.

Et quemadmodum Ægiptus non potuit relinqui, niſi Pharaone victo & multis plagis afflicto, nec pariter mundus deſeritur,niſi contempto Satana & deuicto,non telo externo : quinpotius verbo Dei quod Moyſem erga Pharaonem: in typo feciſse legimus. Poterat quidem populũ ad prelium animare, & claſſicum canere : ſi voluntas acceſſiſſet diuina. Quia autem figura erat quod fiebat, magis miſterio congruit vt veritas manifeſtatione compleretur victoria: quàm armorum prę ſidio. Nam plerumque contingit vt armis ſtipati in bello ſuccumbant,
*Ioan.*30 qui autem decertarunt veritate, nunquam victoria caruerunt. Exiſtimabat Petrus Chriſtum gladio defendendum: quem tamen ab eodem in vaginam iuſſus eſt recondere. Nec erat congruum vt Ægiptus quæ patres populi hoſpicio receperat, bellico tumultu premeretur. Nec iuſtum erat populo Dei Ægiptios armis impetere, a quibus olim panem tempore famis ſuſceperat. Et tamen in peius mutata, mutandum veniebat ſolum: non deſolenda patria. Et ne liceat ſubditis maximè extraneis in Reges, & magiſtratum ſeuire: etiam ſi mali ſint,qui ſummam rei tenent,licuit tamen armis aggredi Reges qui terram promiſſionis occupabant, imo neceſsarium. Siquidem ita præceperat dominus, diuerſaque erat occaſio. Nam hij Reges nichil iuris & poteſtatis habebant ſuper populũ qui Regi Pharaoni pariuerat, & ſub cuius nutu vix erat. *Dimitte populũ meum &c.* Non equidem nomine ſuo ſed nomine domini præcipiebat &

tanquam legatus Dei loquebatur, perinde ac ſi dixiſſet. Rex quidẽ es, ſed dyſcolus. Interim tamen tibi parendum eſt, obediendum a populo non propter te ſed propter Deum, qui interdum permittit hypocritam regnare: propter peccata populi. Sed dominus abſoluit populũ ſuum [qui non eſt amplius tuus] a iugo tuo. Cum igitur decreuerit ita. *Dimitte* (inquit) *populum meum.* Conſidera rem non ſegniter, labẽte curſu temporis populus epulabatur, & gaudebat, & tunc populus Moyſi dicebatur non *Iob.* 30. Dei. Deſcende (inquiebat dominus) peccauit populus tuus. Nunc verò oppreſſus oneribus, aſſuetus flagellis, & macie confectus dicitur populus Dei. *Dimitte*, inquit, *populum meum.* Quaſi dicat. Hactenus afflixiſti populum meum vt tuus fiat, & nunquam a tua ſeparetur ditione, huc vſque tamen remanſit populus meus. Nec præcipio vt dimittas populum meum ob id quod affligitur, ſed vt ſacrificet michi in deſerto. Vnde quæſo in monachatũ tantus abuſus? Ex effectibus perſpici poteſt. Plerique enim relinquunt parentes pauperes, cum quibus vix pane cibario ſatiari poterant, tametſi laboribus grauati, monaſterium ingrediuntur, non quidẽ vt ſacrificent Deo in deſerto. i. non vt ſe exhibeant ſeipſos holocauſtum domino, ſed vt pane otioſo veſcantur, & antiquorũ ſancita & decreta non ſolum infringant verùm, irrideant. Quo fit vt plerumque labantur in libidinẽ quod non intrauerunt per oſtiũ, neque monaſticã veſtem acceperunt, vt ſacrificarent ſe Deo. Non poteſt

ergo fieri vt quod malè cœptum eſt : bono fine
Mat. 19 claudatur. Parum fuiſſet Apoſtolis omnia reli-
quiſſe: niſi Chriſtum ſequuti fuiſſent. Nec id-
circo populus Iſrael iubetur dimitti ob id ſim-
pliciter quod affligeretur, ſed iubetur deſertum
petere non vt lautius viuat: verum vt ĩmolet
Deo, ne putetur ille populus beatus qui pecu-
nijs aut rebus ſecundis abundat ſed qui pietate
& vera religione pollet. Etiam ſi innumera pa-
tiatur mala. Nam qui tribulationem patiuntur,
ex illa fiunt ſpectabiliores, ex qua oriens pro-
batio affert futurorum bonorum ſpem : quæ
ſperantem non confundit, & qui in tentationi-
bus manet, habet vnde ſperet de diuino auxi-
lio. Nec tamen ob id tantum populus Dei erat
quod affligeretur. Siquidem impij interdum in
hac vita æterni ſuplicij pignus in afflictionibus
ſuſcipiunt. Nam Herodes inſigne ſpecimen im-
pietatis tot infirmitates patiebatur: quot mẽbra
habebat in corpore, Antiochus huic non abſi-
milis, diuina indignus miſericordia, fœtore
vulnerum ſuorum, Dei vltionem cœpit in
hoc mundo ſentire. Ob id igitur Iſrael, popu-
lus domini cenſebatur, quod in afflictioni-
bus poſitus non deſponderat animum, ſed
crediderat Moyſi & Aaron, & pronus adora-
uerat. Iob laude indignus veniret, ſi in cor-
pore reque familiari ſentiens iacturam, no-
men domini non laudaſſet. Nouerint ea de re
noſtri temporis hæretici gratis loqui, af-
flictionem obtendentes. Teſsera (inquiunt)
eſt veritatis noſtræ Eccleſiæ : afflictio quam

patimur. Sed non poteſt fœlix dici afflictio : quæ fidei ieiuna eſt, & hypocriſis fuco lita. Igne quidem reſolui auro & plumbo commune eſt, peculiare vero auro, quod puriùs permaneat, plumbo vero quod in fumum euaneſcat. Et vt tandem dicam. Populus beatus eſt ſiue patiatur, ſiue exultet : quando Deus dominus eius eſt. Dominus quidem populi Deus eſt, ſi abſcondat eloquia Dei in corde ſuo : vt illi non peccet. *Dimitte populum vt ſacrificet mihi in deſerto*. Et ſi inuicem præuenire honore poſſimus, ſoli tamen Deo ſacrificare tenemur, cuius filius ſolum & vnicum eſt ſacrificium, quod expiationis vocatur. Non enim martyribus ſanctis templa ſicut dijs ſed memoria ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt ſpiritus fabricamus. Nec ibi erigimus altaria in quibus ſacrificemus illis, ſed vni Deo noſtro & Martyrum : ſacrificium immolamus ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in Chriſti confeſſione vicerunt ſuo loco & ordine nominantur. Non tamen a ſacerdote qui ſacrificat inuocatur. Deo quippe non ipſis ſacrificat, quãuis in illorum memoriam miniſtret quia Dei ſacerdos eſt non illorum. Ipſum vero ſacrificium non offertur ipſis, quia hoc ſacrificium ſunt & ipſi. Illi ergo immortales & beati qui creatoris ſui participatione congaudent, cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere ſancti ſunt, quoniam nos mortales & miſeros nouerunt, vt immortales

Pſal. 118
Rom. 12
Chriſtus ſacrificium ſolũ expiationis.
inuocantur

beatiq; ſimus, miſericorditer nos diligũt nolunt nos ſibi ſacrificare, ſed ei cuius & ipſi ſacrificium nobiſcum ſe eſſe nouerunt. Cognoſcant igitur hæretici Caluiniſtę nos idololatrię inſimulãtes, non ſacrificare ſanctis: ſed ſoli Deo. Nam & ſi infra miſſarũ ſolemnia, quæ Canonem vocant, ſanctorum quorumdam recenſemus nomina, nulli tamen tunc loquimur: imo nec matri Dei, ſed ſoli Deo & filio eius domino Ieſu Chriſto. Nec perfunctoria eſt ratio, cur ſanctis non ſit ſacrificandum, quoniam aliud eſt ſacrificium, aliud cui ſacrificatur. Cũ ergo ſancti ipſimet ſint ſacrificium, & ipſemet Chriſtus myſticus, ideo illis non ſacrificatur: quia ſunt & ipſi quod ſacrificatur. Siquidem alia ratione Chriſtus ſumit ſacrificium, & accepto fert nempe quia Deus. Et alia ratione ſacrificium eſt: videlicet quia homo. Sicut ergo Deus ſolus & vnus eſt, ſoli Deo debetur ſecrificium. Sed cum munus ſacerdotis ſit ſacrificare, quid eſt quod dicitur. *Dimitte populum vt ſacrificet michi in deſerto*? Videtur enim toti populo miniſterium tribui. Verum tribui quidem populo poteſt munus ſacrificandi ſi fidem, affectum, & deuotionem ſpectes, maximè tamen hij veri ſacerdotes cenſendi veniũt, quos diuina ſanctio a cæteris ſecernit, ordinatione, & manuum impoſitione, officio, munere, iuriſdictione: & dignitate. Modo quodam populus ſactificare dicitur, quando ſacerdotes vt ſacrificent deprecantur, eiſque ſacrificantibus aſſiſtunt, creduntque vt quod ſacerdotis ſit miniſterio de Dei ordinatione procedit. Ad hæc.

Popu-

Populus non temerè cenſetur ſacrificare, quãdo pro veri ſacrificij defenſione paratus eſt ſanguinem fundere, vt meritò ſecũdum diui Petri ſententiam dicatur ſacerdotium ſanctum & regale. Quia Chriſtus fecit nos Deo patri regnum & ſacerdotes. Et inde monemur ab Apoſtolo noſipſos offerre Deo hoſtiam viuentem, ſanctam vt dici poſſit populus ſacerdotes ſecundum ſpiritus deuotionem, non ſecundum ſacramentorum diſtributionem. *In deſerto.* Certum eſt ſacrificium quod iubebatur a Deo offerendum, typum corporis Chriſti fuiſſe: tempore opportuno reipſa & veritate ĩmolandum. Indignum ergo erat vt ſacrificium Chriſti ibi fieret: vbi iam Chriſtus fuerat occiſus, quando per Pharaonem (ſuggerente Satana) mares Hæbreorum infantes, aquis fuerunt obruti. Quãtum ad Pharaonem attinet, futuro tempori prouidebat ne Hæbreorum creſceret populus, & regno deturbaretur. Si verò Satanę inſpexeris inſidias, eo fine hæc homicidia Pharaoni ſuggeſſit, vt populus tandem exterminaretur, & ſic ſemen Abrahæ (quod Chriſtus eſt) impediretur, imo in maribus occideretur. Indignum igitur erat Pharao vt imago veri ſacrificij in regno eius fieret, qui Chriſtum ne ſacrificaretur in veritate, occidere ſatagebat in ſemine & radice. Non quia hunc finem habuerit Pharao ſed Satanas: cuius & ipſe figuram prætulit. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius & Iſrael dimittam? Neſcio dominum, & Iſrael non dimittam.* Superba Dominatio ma-

1. Pet. 2. *Apoc. 5* *Rom. 12.*

indignus

iorem ſe ferre non poteſt. Neſciebat ille verum Dominum, qui falſò parebat Domino, & cuius arte verum dominum cognoſcere non poterat: cuius vocem audire dedignabatur. Nec video cur tyrannide noluit temperare
Ioan.15. nec miſſum facere Iſraelem, niſi quia neſciebat Dominum Deum eſſe. Ob id Iudæi Apoſtolos perſecuti ſunt: quia non nouerunt
Gen. 4. Chriſtum nec Patrem eius. Nec Paulus chriſtianos deuouiſſet diris antequam Chriſto nomen dediſſet: niſi impellente ignorantia. Cayn odium fraternum ad necem trahens, Dominum neſciebat, cuius oculos omnia etiam
Collo.4. ſecretiſſima deprehendere non credebat, alioquin a principio non negaſset factum nec cædem a ſe commiſsam: dicens. *Nunquid cuſtos fratris mei ſum?* Apoſtolus docebat Dominos quatenus non ſe ignorarent habere Dominum in cœlo, ne hac ignorantia plus æquo ſeueritatem in ſeruos extenderent: dicebatque. Domini, quod iuſtum eſt & æquum eſt ſeruis præſtate ſcientes quod & Dominum ha-
1.Thi.5. betis in cœlo, perinde ac ſi diceret. Nolite ſeruis veſtris imperare more eorum qui pecunia & mercede cõductam familiam adeo oneribus, & ſolicitudinibus rerum ſeculariũ præmunt, vt integrũ non detur de Deo quandoq; cogitare nedicam ſeruire, vt etiam diebus ſolẽnioribus ſacrum audire non concedatur. Quis non dixerit tales dños Pharaoni haud abſimiles, dñm neſcientes & infideli deteriores vtpote qui curã ſuorũ & maximè domeſticorũ, vt ſaluẽtur, non ha-

bent? Quis dubitabit hæreticos noſtri temporis Pharaonicæ tyrãnidis hæredes qui populum ſacrificio Chriſti ſubducere conantur? Et Ægiptũ, id eſt, erroris tenebras impediunt egredi eoſque quaſi luto & lateri occupatos detinent, libertatẽ carnalem fucatis verbis docentes. Diceres rogo, tales Chriſtum cognoſcere dñm? Ille cognoſcere dñm cenſebitur, qui contra fidei iura eius dominationi refragatur. quomodo cognoſcere vel audire vocem Chriſti dicitur, qui vocẽ eius negat? Siquidem accepto pane Chriſtus dixit. Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum. Qui *Mat. 16* ergo quod eius verum eſt corpus, aſſerit merum panẽ, temerè vocẽ Chriſti audire & intelligere dicitur. Nõ ergo mirũ ſi tales Chriſti ſacerdotes miſſos nõ faciant neq; catholicos: qui veri Iſraelitæ ſunt. Qui Chriſtũ ita impotentẽ aſtruunt, vt quod dixerit eſſe non poſſit, atq; vt demum dicã, *Ioan. 17* verum Deũ non agnoſcũt. Cũ tamen vita ęterna ſit Deũ cognoſcere, & quẽ miſit Ieſum Chriſtũ. *Ne fortè accidat nobis gladius, aut peſtis.* Nichil Deo acceptabiliùs ſacrificio, ſi perfidia atq; proximi *Mat. 9.* iniuria non conſpurcetur. Alioquin mauult miſericordiã quã ſacrificiũ, tametſi ipſamet miſericordia ſacrificiũ interdũ cenſeatur: maximè ſi in Dei gratiam erogetur. Sed ad rem, & ſi noſtrorũ *Pſal. 15.* bonorũ Deus minime egeat, ſibi tamẽ vult ſacrificari, vt ſibi ad honorẽ, nobis verò ad vtriuſque hoĩs commodũ conſummetur nec fiat tantũ aĩæ infirmitatib⁹ propiciũ: verũetiã corporis Quod ſi in negligentiã & contemptũ trahatur non poteſt eſſe cuipiã ſalutiferũ. Ne fortè, inquit Moy-

ſes, accidat nobis gladius aut peſtis. Nunquam
1. Cor. 11 enim contigit ſacrificium neglectum, aut contemptum, diuinam euaſiſſe vltionem. Ideò inter Corinthios multi infirmi, & imbecilles, & dormiebant multi, id eſt moriebantur, quod ad Chriſti ſacrificium, quod incruentum offerebatur, non diiudicarent corpus Domini quod ſumebant: perinde atque cibum cõmunem. Multos tempore Dauidis Regis, peſtis oppreſſerat, ſed altare erectum cum pacificis & holocauſtis hanc plagam cohibuit. Sed intelligas velim, non ſolum ſacrificij exhibitionem peſtem coercere, verumquidem populi fidelis ab incredulis ſeparationem. Ibimus (inquit) viam trium dierum in ſolitudinem. Vnde igitur nunc tot peſtes, tot bellorum incõmoda, & maximè in regno franciæ ob id quod, vt in prouerbio eſt, deſidia ac puſillanimitate principum: coutuntur Iudæi Samaritanis? Et tanta carnis neceſſitudine plerique eorum qui nomen catholicum iactant hæreticis aſtipulantur, vt quaſi eis proximum ſit: ſacrificium miſſæ auerſari, ita vt iſti cum illis pacem
Ioan. 4. componere ſemel atq; iterum non erubuerint. At non poteſt ſolui ſcriptura: quæ pacem impijs ſubtrahit. Quam enim pacem hominibus promittunt, qui fidem Deo non ſeruant? Ob id Moyſes mauult indignationem Regis ſubire: quàm diutius neglecto ſacrificio in regno eius habitare. Nec ſane luſit operam. Siquidem vtrumque euaſit, & peſtem, & gladium. Non ergo miremur Principes catholicos a ſuis ſubditis laceſſitos, quorum arbitrio religionem

verius dixero, hæreſim eligendam: imo quod grauiùs eſt excercendam reliquerunt. Sua enim puſillanimitate peſtis & gladij virus fere totũ regnum infecit, ob id quod non curarunt vt filij Iſrael, id eſt, Catholici ſeparati ab Ægiptijs. i. hæreticis immolarẽt Deo. i. auguſtiſſimo altaris ſacramento obſequerentur, ſed tanta confuſione omnia oppleta ſunt, vt ſub eodem tecto vir & mulier (qui vna caro ſunt) diuerſo & contrario cultui pareant. *Ne fortè accidat nobis gladius aut peſtis*. Perinde ac ſi dicat. Non ſolũ timemus peſtem aut gladium ſi minimè ſacrificauerimus, ſed ſi ſacrificantes non fuerimus a vobis ſeparati: ne inuoluamur in peccatis veſtris. Igitur miſſos faciant hæretici ſacrificos noſtros, quos nouerint infra miſſarum ſolemnia dominum deprecari ne peſtis noceat, aut gladius bellicus graſſetur. *Quare Moyſes & Aaron, ſollicitatis populum ab oneribus ſuis? Ite ad onera veſtra.* Magna fidei conſtantia & morum integritate opus eſt hijs quibus verbi Dei prædicatio credita eſt. Nã ſi quid manſuetudinis auribus populi (in gratiam pœnitentium) infuderint, adulationis inſimulabuntur, ſi vero durius optato, temerariorum cauſa, locuti fuerint: pro ſeditioſis inclamabuntur. Nec mirum, cum eadem infamia Chriſtus fuerit inſperſus. Nec alia occaſione admouerunt manus Paulo Iudæi [qui in templo ſacris vacabat) quàm violati templi. Talis *Act.* 21
eſt veritatis conditio, quæ cum tranquillitatis ferax ſit: ignorantibus Deum pro tormento habeatur. Quandiu populus hærebat luto & late-

ribus, videbatur ipſi Pharaoni rectè agere: etiã neglectis laudibus quæ Deo debebantur. Ad ſacrificium autem inuitatus populus eos qui inuitabant ſeditionis inſimulauit, & ſolũ peccatũ opinatur: quod terreno lucro ſubducitur. Nichilominus ſollicitus eſt populus ab oneribus ſuis, quæ nulla ſequuntur lucra: quinpotius dã-
Mat. 11. na. Ob id Chriſtus in hunc venit mundum, vt reficeret eos qui erant laborãtes & onerati. Sed eò miſerie ventum eſt, vt qui mundo ſunt addicti, iam non prædicatorem ſed ſeductorem opinetur: quem nouerit ad Deum prouocare. *Ite ad onera veſtra.* Q.D. Quid vobis & populo? Explete negotia veſtra. quid damni vos manet ſi in labore perſeuerent? Quid lucri ſi hinc migrẽt? Hæc vox typo vocem eorum præfert, qui ſub-
Ephe. 4. ducere ſatagunt prędicatores debitę ſollicitudini pro ſalute chriſtiani gregis, quaſi ſibi ſolis nati ſint, qui tamẽ in Eccleſia poſiti ſunt: ne cæteri transferantur omni vento doctrinæ. Nouerint igitur tales Pharaoni non abſimiles, prædicatores non ſibi natos: ſed rationẽ pro cæteris redditutos. Nã onera prædicatorũ onera populi ſunt. Quis infirmatur in vobis (inquit Apoſto-
2. *Cor.* 11 lus [& ego nõ infirmor? Onus igitur doctoris, eſt euangeliũ non erubeſcere, & ab onere. i. ter-
Rom. 1. renis cupiditatibus (labore Ægiptij expreſſos) reuocare: & ad iuſticiam erudire. *Multus eſt populus terræ.* Hoc Pharaonis conſilio nil vaniùs. Siquidem eo medetur quo nocere deſiderat, ſibi ruinam parans, quæ illa tanto grauior fuit: quanto pertinacior aduerſus Deum. *Multus eſt.*

inquit, *populus terræ, quanto magis ſi dederitis requiem.* Vide inuerſum Pharaonis cōſilium. Cupit populi numerum minui onere & labore: quem tamen inter labores cernit multiplicatū. Nec aliter debuit de futuro exiſtimaſſe: quàm in præterito conſpexerat. Interim quantū poteſt, populum nititur requiei ſubducere, qua tamen intercedente, a Dei obſequio interdum populus remorari poteſt. Ita vt ſæpius chriſtiano cœleſti cenſura opus ſit vt iacens fides, & pene dixerim, dormiens erigatur, & diſciplina nobis diuinitus tradita ſuſcitetur: quam longa pax ſolet corrūpere. Et vt ſūmatim loquar. Plus nocuit conſilium Balaam vt populus cum mulieribus Madiam operam daret voluptati, quā Pharaonis oneribus premeretur, quoniam illud excidium, iſtud verò remedium populo cōſciuit. Sed videto in Pharaone Satanam, qui ſibi addictos: omni requie deſtituere nititur. Cuius iugum excutere non poteſt: qui diuinū obſequium auerſatur. Seruietis, inquit dominus, diis alienis qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Ob id ſic conſulto nobiſcū Deus agit vt in oībus tribulationē patiamur, & perſecutionē eius auxilio tamen haud deſtituti, noſcamus nos nō perire, ſed ſublimitatē virtutis Dei (quæ ex nobis non eſt) in vaſis noſtris fictilibus: ſentiamus habitare. Et mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circunferentes, habita in animabus requie, tandem in corporibus noſtris vita Ieſu (quæ nunc abſcondita eſt) manifeſtetur. Amen.

Nū. 14

Eſa. 65.

2.*Cor.*4

Homilia XIII.

Rom. 12 *VEnerunt prepoſiti filiorum Iſrael, & vociferati ſunt dicentes. Cur ita agis contra ſeruos tuos?* Noli [inquit Apoſtolus] vinci a malo,ſed vince in bono malum, vt quidem tibi aduerſus peccatum congredi integrum ſit modo id fiat bonitate :non alio vitio.Quoniam,&
Rom. 3. ſi virtus,alia poſſit virtute fulciri : diſolui tamen peccatum per aliud peccatum non poteſt. Non enim ſunt facienda mala : vt inde eueniant bona, Quandoquidem ius ſuum ſeruare, declinare incommoda,cauere ab impijs, conſulere populo,compati miſeris : æquitati conſentaneum eſt. Sed in ordinem redigere Principem , eique contumeliam inferre, etiam ſi paganiſmo conſpurcetur : nemini impunè concedendum eſt. Expoſtulare quidem licet, arma mouere, atque aduerſus Principem congredi non licet, maximè illi, cui fidelitas promiſſa eſt, quæ ſine peccato diſſolui non poteſt. Sicut clariſſimè in hoc negotio diuina nos teſtimonia docuerũt. Quid enim iniquiùs quam exigere a ſubditis , quod corporis vires exuperat ? Quid iniuſtiùs quam vt Regis, impiæ iuſſioni ea addetur immanitas a Præfectis Ægipti, vt flagella ſubeant Iſraelitæ inconſulto Rege? Satis proculdubio erat qnod grauiori labori erant addicti . Iuſſerat quidem Rex vt populus ſanctus, grauioribus præmeretur laboribus , ſed qui ſummam rei habebant in manibus : hijſce laboribus flagella addiderunt.
Pro. 29. Quoniam Rex qui libenter audit verba

mendacij: miniſtros omnes habet impios. Interim tamen in S. populo ob illatam iniuriam: nulla vindictæ cupido, nullũ reſiſtendi propoſitum. Et inter tot animi anguſtias, & impatientiæ occaſiones, nullus efferbuit furor, nulla reddendæ talionis mentio. Sed ad eum a quo exidiũ prodibat: recurritur pro remedio a prępoſitis filiorum Iſrael vociferatione quidem: non violẽtia. Cur, inquiunt, ita agis contra ſeruos tuos, quos defendiſſe debuiſti, non leſiſſe? Serui tui ſumus, qui tibi impendimus noſtri corporis miniſterium quemadmodum nobis debes impendere tuæ poteſtatis adiutorium. Sed tantum abeſt vt iuues, ſed veluti hoſtes capitales nos præmis. Si penſum non reddidimus: contumaciæ non imputetur, ſed palearum indigentiæ. Nemo ſine materia agit. *En paleæ non dantur nobis. Et lateres ſimiliter imperantur.* Non erubeſcimus opus, ſed rebus egemus qui de nichilo non poſſumus quicquam facere. Nõ ſunt ſanè Pharaoni abſimiles, plerique Reges & Principes qui miſerum ſic expungunt populum, a quo pecuniam extorquent etiam ſolito copioſiorem. Cum tamen colligendi pecunias, inſolentia militum impediat poteſtatem. Et vt prouerbium loquitur. Cui deeſt tellus, ſulcare non licet. Cui igitur non licet viuere, licebit, pecunias recondere? Illi ergo numerum laterũ ſolito maiorem reddere non poterunt in die: cuius bona pars in collegiendis paleis conſumebatur, iſti non poſſunt annuum penſum Regibus ſoluere, quibus vix pani lucrando totus

labor ſufficit. Illi non poterant quib⁹ nullũ dabatur auxiliũ, iſti non poſſunt, quibus vnde poſſint aufertur. Tyrannus vtrobique. Sed grauior in principibus Chriſtianis cauſa quã in Pharaone coram Deo cenſetur, quibus maiore clemẽtia opus eſt, quanto differentiorem cultum profitentur. Siquidem ille paganus. Iſti chriſtiani.
Luc. 12. Ille dominum neſciebat. Iſti verò optimè non ſolum dominum nouerunt, verũquidem & patrem illi non profuit dominum ignoraſſe. Iſtis nocebit ſupra modum, quod in tanta manſuetudinis diuine noticia feritatem induerunt, quia ſeruus ſciens voluntatem domini ſui & non faciens plagis vapulabit multis, & tanto quanto grauiùs eſt affligere fratres quàm ſeruos. Ille ergo ſeruos torquebat. Iſti verò fratres, qui tametſi ſubditi, fratres tamen nõ eſſe nõ poſſunt: quos conſtat fidei vnitate & religionis adunari. *Iniuſte agitur contra populum tuum.* Neſcio ſanè quidnam admirari debeam in iſto populo (quem geſſiſse martyrum typum conſtat) patientiã, prudẽtiam, aut erga regem reuerentiam. Non enim dicunt. Iniuſte agis, ſed agitur, vt ſoliùs iniuſticiæ fiat
2. Thi. 4 expoſtulatio, non ad iracũdiam prouocatio. Satis erat iniquum factum cauſari, non Regẽ conuiciari, quem nec diris deuouebant, ſed manſuetudine verborũ delinire ſatagebant. Nam ea eſt
1. Teſſ. 2 Eccleſiaſtis probi cõditio, vt arguat, obſecret, increpet in omni patiẽtia, & doctrina quemadmodũ docuit Apoſtolus, cui & ſi adulationis ſermo
Act. 26. fuerit incognitus Iuſtum tamen iudicem optimum nuncupauit, ſpectans in eo prærogatiuam

dignitatis: non conditionem iniquitatis. Nam cum parietem dealbatum legalem ſacrificum vocitaſſet, ſemet inde corripuit. d. Neſciebam, quia Princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim Principem populi tui non maledices. *Vacatis ocio, & ideo dicitis. Eamus, & ſacrificemus Domino. Ite ergo & operamini Palea non dabuntur vobis.* Nulla bellua viro crudelior, ſi poteſtas ad quam euehitur, edificatione careat, maximè cum illa poteſtas vſque ad faſtigium regale extenditur. Nam remota iuſticia nil aliud ſunt magna regna niſi magna latrocinia, Cirus Rex, iniuria fidei in lacum leonũ coniecit S. Prophetã, ſed manſuetudo leonũ, tyrannidẽ Regis ſuperauit. Quando quidẽ ea fertur leonũ conditio vt inſigni debellet ira ſuperbos: parcatq; proſtratis. Sed Pharao nulla verborũ humilitate mouetur. Imo immanior tanto, quanto clementiorẽ offendit populum. Nec mirũ, cum Satanas, cuius typus & caput eſt, pacis, cum hominibus bonæ voluntatis impatientiſſimus habeatur. Non enim eſt colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinẽ, ſed aduerſus mundi rectores tenebrarum harum. Pharao quidẽ caro & ſanguis erat ſi ſpectes naturam. Si verò impium cultũ: vtique rector tenebrarum erat, Patienter tuliſſe debuit populus Iſrael, ob inflictam afflictionem: quandiu nulla fiebat religioni iniuria. Sed diuino interueniente contemptu, iam relinquendus erat, non ea ratione qua regnabat: ſed ea qua blaſphemabat. Obediendumque eſt Regi, ſed blaſphemus venit aucrſũd[9]. In regia poteſtate, diuina micat maieſtas

Act. 23

Aug. l. de Ciuit. Dei.

Ephe. 6.

in perfidia verò, diabolica immanitas: relinquẽdi ergo ſunt Reges popularis tuendæ pacis gratia inſtituti, vbi illorum opera: pacis deſtruende paratur occaſio. Non enim poteſt hijs pax
Eſa. 65. dari, qui auerſantur Deum: & eius ſacrificio detrahunt, quibus per Prophetam dicitur. Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte. At perpende, vnde Satanas roboretur, nimirum ſi ei arriſerimus. Audi quid nam eius membro id eſt Pharaoni dicatur a populo. *En famuli tui flagellis cedimur, iniuſtè agitur contra populum tuum.* Quandiu ergo populus non erubeſcit populus Pharaonis dici, dilatatur in Pharaone ſeuiendi cupido, & quidem merito, cum enim viderent ſe remorari a ſacrificio Dei eius tyrannide, cur ſe populum eius profitebantur, quem ſciebant populi deſtructorem, & veri cultus acerrimum hoſtem? At prohpudor, ſatis erat illis relicto Deo onera ſubire ne offenſo rege grauiùs contingeret illis. Verùm non poterat Regis prodeſſe tranquillitas: vbi de impatiẽtia & diffidentia agitur. Sic pleriſque contigit qui relicto ſancto miſſæ ſacrificio Geneuam adeunt, pacificè & liberè viuendi cauſa, qui cum tamen ſe viderint operam luſiſſe, malunt illic in miſerijs damnationem ſuam texere, quàm ad gremium Eccleſiæ prouidendæ ſalutis cauſa redire, dicebat ergo Pharao. *Vacatis, & ideo dicitis, eamus.* Qui terrenis cupiditatibus ſunt addicti, ocioſum & perfunctoriũ opinantur, quicquid impenditur Deo, & tanquam deperditum deflent: quod in ſuam non tranſit poteſtatem.

Nam vnguenti ſuauitas quo Chriſtum Magdalena inſperſit, Iudæ proditori peperit fœtorem, ob id quod illud pecunijs commutare, extra ſuum arbitrium erat. Quid deteſtabiliùs hodie cenſetur ab hæreticis, quàm ſacrificare Deo, qui multo peiores ſunt Pharaone? Siquidem ille ocioſum iſti pernicioſum aſſerunt ſacrificium, quod multis nominibus ignominia plenis depingunt. Ille ne Deo ſacrificium libaretur, oneribus dumtaxat populum Dei premebat. Iſti poſt contumelias longè peiores Saule effecti: ſacerdotes Dei interficiunt. Nam Pharao ita in illos animaduertit: quia rebatur eos proditionem texiſſe, iſti vero nulla a ſacerdotibus accepta contumelia, in eos hanc exercent tyrannidem: ſed ob id tantummodo, quod ſacro deſeruiunt altari. *Ite ergo, & operamini, paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum.* Hæc eſt hæreſis conditio (quę in Pharaone typum habuit) vt ſi in principio non diluatur, plus deſiderato creſcat pariter & tyrannis Pharao primum ſapienter, id eſt, modeſtiæ fucatæ pallio tectus, populum opprimebat. Sed comperta populi non ſolũ ſimplicitate verum & puſillanimitate, ſolito maiorem audaciam accipiens: patentem dilatauit tyrannidem. Sic Saul primis regni ſui diebus obtrectatorum ſuorum voces diſſimulabat. At regno roborato: arma in Dauidem beneficum mouit, & tandem ſacerdotes domini trucidari iuſſit, Abſalon quidem dum regnum immaturo tempore aucuparetur, populo adulabatur quem etiam ali-

quando amplexabantur Demum patrem regno deturbare,inſtructis totius Iſrael copijs, nitebatur. Iulianus, quem apoſtatam vocant, potitus imperio priuſquã aperto marte chriſtianos inſectaretur, vafricie & dolo illis inſidiatus eſt. Sic plerique principes ſubleuandæ plebis fucato titulo, illam inſueto & iniuſto ære grauant. Quod ſi contingat, vt pium eſt, iuſta occaſione expoſtulare, & perfrictæ frontis effecti: onus aggrauare nõ erubeſcunt,populo nõnullum ſolatium erat, quod Rex paleas penderet. Sed aucto labore ſic oppreſſit: vt omne laboris ſolatium ſubtraheret. Si de hæreticis fiat mentio, non eſt quod dubitemus eos Pharaoni ſimiles. Nam ſucceſſu temporis onus auxit. Iſti verò ſuam hæreſim adeò dilatauerunt vt pene attigerint ateiſimũ. Arrius in principio in Alexandria vna fuit ignis ſcintilla,quæ quia cito nõ fuit extincta,totũ fere orientẽ inflãmauit. Hæretici vero qui noſtro ſeculo orti ſunt, paleas præbuerunt vt relicto edificio lapidum, id eſt, fidelis populi, lateres decoquerent in ſtructurã Eccleſiæ malignantium, præbuerunt, inquã, in principio paleas id eſt,fomenta ignis ſeditionis, promittentes diuitias, libertatem, tranquillitatem, bonorum Eccleſiæ facultates. Quid nam hoc aliud erat, quam ignis fomentum tradere vel paleas, quæ ſubitaneum ignis fomentum eſt, ſed ſtatim euaneſcit. Quandoquidem nil vaniùs promiſſis vel minis hæreticorum, quæ ſtatim dilatantur, ſed hoc ſolatio erigimur quod eorum mendacia non diu fallunt. Per-

pēde rem non ſegniter. Qui tali fuco hæreſum facile accenduntur tandem paleis deſtituuntur, grauioribus obnoxij oneribus. Quia aliquali diſtributione pecuniole faſcinati, poſtquam hæreſum iugo addicti ſunt vt erubeſcant ad fidem redire, pendere pecuniam inuitantur, qui non niſi accepta pecunia hæreſim nō ſuſcepiſſent, ſic grauiore onere premũtur vt macie & fame cōfecti: maiore conſcientiæ ſtimulo affliguntur. Sed audiant Aaronem, & Moyſem vt excuſſo Ægipti id eſt tenebrarum & hæreſum iugo, ſine labore id eſt ſine peccato, in deſerto Eccleſiæ, pane ſuauiſſimo.i.corpore Chriſti in ſacramēto altaris collocato: veſcantur. *Ite & operamini, &c.* Quam diuerſa Chriſti, & Satanæ cōditio. Siquidem Chriſtus, qui operum noſtrorũ non eget, eo fine operemur iubet, vt in noſtrum compleatur opus qui non paleas id eſt res vanas, ſed manus adiutrices in noſtræ fragilitatis ſubleuamen porrigit. Et ſi quid diſcriminis opus noſtrũ habeat, peramplius præmium opperitur. Satanas verò ſuæ inuidiæ cauſa, ſtimulat ad opus terrenum, ſpreta cœleſti conuerſatione, & vana mercedis ſpe deludens, tandem deſtitutos ſolatio ſibi parentes: ſine miſerijs non relinquit, Paleas quidem a principio præbet id eſt mundi illecebras fauillis palearum vaniores, ſed peccator ſenio confectus, hijs vti impotens: grauiore peccatorum ſtimulo premitur. *Fetere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, & ſeruis eius.* Rarò contingit veritatem ſine cōtrouerſia, & cũ perfecta tranquillitate nunciari, *Eſdre.3.*

ram Pharaone & ſeruis eius id eſt Satana, & mundanis qui ſunt ſerui eius. Quia niſi odor noſter feteat coram eis, non poſſumus cum ſancto populo terram promiſſionis, id eſt æternā gloriam ingredi. Nā amicitia huius mundi inimica eſt Deo. Verū ad hoc chriſtiani ſum⁹, vt ſim⁹ bon⁹ Chriſti odor, electis odor vitæ in vitā: 2.Cor.2
reprobis verò odor mortis in mortem, videlicet vt qui prædicationem fidei quam prædicamus, exiſtiment vitam ſpirare: vitam conſequātur æternam, & qui eandem prædicationē ſpirare mortem putant, in mortem incidant æternam, Sic fœtebat odor Apoſtoli coram mundo, qui non erubeſcebat dicere. Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus, blaſphemamur & obſecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus 1.Cor.4
omnium peripſema vſque adhuc. *Reuerſuſque ad dominum Moyſes, ait, domine cur afflixiſti populum iſtum? Quare miſiſti me?* Afflixiſſe populum dominus dicitur, quod tū temporis Pharaonē minimè cohibuerit, quia & affligendi voluntas ex Pharaone fuit, affligendi tamen populum poteſtatem ſine domino habuiſſe non potuit. Ob quam rem, non deſpondeamus animum in aduerſis, quæ de domini poteſtate prodeunt. Mirabatur Pharaonem, & cauſabatur eum afflixiſſe populum, cui non nomine ſuo: ſed nomine Dei locutus fuerat. Quia qui Doctoris verba auerſatur, non Doctorem ſed Deum ſpernit. Pia quidem Moyſi expoſtulatio quæ non ex perfidia: ſed ex fide inconcuſſa prodibat. Ob id

virtutem orationis obtinuit, quia Dei a quo
Heb. 4. miſſus fuerat, poſtulauit ſuffragium. Nam eo
erigimur ſolatio, vt neſcientes quid agere debeamus ad Dominum confugiamus in auxilio
2.Paralip.12. opportuno.

Homilia XIIII.

Dixit Dominus ad Moyſem. Nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni.* Tametſi dominus Deus iuſtus ſit,&rectum iudicium eius:
Pſ. 118. nichilominus frequenter in populum ſuum animaduertit ob ſuæ voluntatis tranſgreſſionem: miniſterio eorum qui grauioribus peccatis habentur obnoxij. Nec id quidem diuinam auerſatur iuſticiam.
Rom. 9. Voluntati enim eius quis reſiſtit? Verũtamen qui flagri vicem agunt tandem populo Dei animaduerſione diuina eluto, flammis vruntur vltricibus æterniſque, nec relinquitur virga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem
Pſ. 124. manus ſuas: impatientia ſcilicet perciti. Siquidem Pharaonem Dei flagellum extitiſſe non ambigo, quo populus Dei diſciplinam ſuſcepit,
Pſal. 2. nec perijt de via iuſta: quia non ſemper aduerſus eum iratus eſt. Sed tandem Pharaonem corripuit, precedente tamen comminatione (quæ miſericordiæ ſpecimen eſt (quemadmodum dicitur. *Nunc videbis &c.* Audiſti indignationis magnitudinem? Audiſti minarum excellentiam? Sed ideo ſe dominus talem Pharaoni oſtendit, vt ei comminaretur, non vt opere minas expleret, ſed vt eo correcto, minas ad opus non perduce-

ret. Alioqui ſi punire vellet, cur prædiceret? Sanè exiſtimo Deum vtrumque ſaluare voluiſſe, nẽpe Pharaonẽ, & populum. Iſrael Interim tamen iuſticia Pharaonem affligi, populum verò ſuum miſericordia cõſolari diſpoſuit. *Nunc videbis &c.* Quaſi dicat, non eſt quod cauſeris immanitatem, & arrogantiam Pharaonis, quæ nec illi profutura eſt, nec tibi nec populo tuo nocitura, ſed illi qui ponit carnem brachium ſuum. Nec aliud ſui regni fulcimẽtum habet quàm violentia. Sed maius eſt iuſticiæ robur quàm violẽtiæ. Quoniam iuſticia firmatur ſoliũ. Ob id regnum Chriſti finem non habet, quod virga ęquitatis virga regni ſui eſt. Experieris ergo, ô Moyſes, quid Pharaoni proderit eius arrogantia cum extendero manũ meam: cui reſiſtere non poterit. Fortis quidem eſt, ſed cum fortior ſuperuenero: auferentur ab eo ſpolia ſua, id eſt, populo meo deſtituetur, quem ne michi ſacrificet prohibet. *Per manum enim fortem dimittet eos.* id eſt, Sic eius conatus deludetur, vt manu forti abutens manu fortiori puniatur. Quia per quæ quis peccat: per hæc & torquetur. Nam priùs manũ adiutricem *Sapi. 11.*
extendi, vt verbo meo quaſi manu ductus, imperio meo faceret ſatis, ſed quia aſpicere contempſit, rigore meo venit coercendus, vt etiam fortis, alia fortitudine ſuperetur. Grauis fuit eius man⁹ ſuper populũ meũ, ſed grauior erit manus mea ſuper eum, vt ea depreſſus cogatur dimittere populũ meum. *Et in manu robuſta eijciet illos de terra ſua.* Nõ poterit ſemper reſiſtere, quia homo *Prou. 12.*
non roborabit ex impietate. Ille maximè cẽſetur

impius,qui in ipſum Deum peccat ex directo,& eius cultum auerſatur, quemadmodum & ipſe Pharao,qui domino volente, populum Dei regnum Ægipti egredi coëgit eadem manu forti, & robuſta,qua hacten⁹ eum detinuerat: ne proficiſceretur in deſertum ſacrificandi gratia. quia futurum erat vt Reges terræ typo Regis Ægipti deſignati [Siquidem Ægiptus tenebrę interpretatur] ea poteſtate qua cohibebant, ne euangeliũ prædicaretur & annunciaretur Chriſtus, audita morte primogeniti, id eſt cognita Chriſti mortis efficacia & virtute, baptiſmum ſuſciperent, & ad fidem, ſimilem populum adhortarentur. Sed quantum ad Pharaonis perſonam attinet,in manu robuſta eiecit populum Dei de terra ſua, ſuo quidem damno, quod id non obedientię cauſa non fecit, ſed morte primogenitorum dumtaxat perterritus. *Ego dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonay nõ indicaui eis*. Hic in tribus Patriarchis ſolidiorem fidem fuiſſe quã in Moyſe declaratur,quibus non fuit opus tantis miraculis vt omnipotentiã Dei crederẽt, qui nec ſubdubitaſſe creduntur nec præceptis Dei reclamaſſe. Sed ſimpliciter obediuiſſe leguntur. Apparuit ergo dñs illis in Deo omnipotente,quia ſic crediderunt omnipotentiam Dei, vt non fuerit opus illis indicare nomen Dei Adonay. i. quantę fuerit potentię. Nã per exhibitionem operis, nulla faciendi miracula poteſtas data eſt Patriarchis, cum autem audis Adonay nomen,non nudum vocabulum

ſpectes velim, ſed rem ipſam, id eſt ipſummet Deum, ſicut ſcribitur. Si non timueris nomen eius glorioſum, & terribile, hoc eſt dominum Deum tuum augebit dominus plagas tuas. Nomen ergo Adonay dominus Deus eſt, quem nõ oſtendit Patriarchis ſicut & Moyſi. Nec apparuit dominus illis tanta gloriæ manifeſtatione quãta & Moyſi, veluti ac ſic loquatur dominus. Non affeci talibus, ac tãtis plagis patriarcharum inimicos: quantis afficiam & Pharaonem. *Pepigique fœdus cum eis, vt darem illis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum in qua fuerunt aduenæ.* Q. D. Cum impoſſibile ſit vt mentiar, fieri non poteſt vt promiſſis meis non faciam ſatis aliquando. Atqui nomen meum Adonay non indicaui eis, id eſt ad effectum vſque promiſſiones meas non protraxi, quibus nomen meum maximè venit manifeſtandum in eiectione & occiſione incredulorum: quorum tunc necdum erant completæ iniquitates. Interim pepigi fœdus cum eis, vt periodo temporis completa, darem illis terram Chanaam, qui ea ob iniquum cultum veniebat deturbandus. Sed diſſimulans peccata eorum propter pœnitentiam, quibuſdam annorum centuriis eos miſſos feci, vt tantorum Patriarcharum pręſentia, & eorum exẽplaris vita, doceret Chanaam Deum nõ auerſari in tanta terræ fœcunditate, in qua cernebat Patriarchas peregrinari. Plerumque enim (tametſi non ſemper) contingit bonorum conſortio malos emendari, & malorum ſeuitia tanquam purgatorio igne iuſtos probari, purgarique. Nã

Deu. 28

Heb 6.

Sapi. 11.

obtinuerunt Patriarchæ ſua peregrinatione (quæ fidem illis non ademit) vt dominarentur illius terræ, non quidem in ſeſe ſed in ſuis poſteris, intercedente fœdere meo. Quo docemur priſcorum merita ſucceſſoribus plurimum valere: vt in meſſem introeant iſti, quam indefeſsè laborarunt. Si tamen myſterium ſpectetur, ob id terram Chanaam obtinuerunt Iſraelitæ, quod fide ſuccedanea imitati ſunt Patriarchas, qui peregrinationem non erubuerunt, ſed patienter tulerunt, quoniam non aliter ſumus ciues ſanctorum & domeſtici Dei, niſi imitando Apoſtolos, & Patriarchas: vtpote ſupra illorum fundamentum ſuperedificati. *Ego audiui gemitum filiorum Iſrael, quo Aegiptij oppreſſerunt eos. Et recordatus ſum pacti mei.* Magnum eſt quod dominus promiſerit qui fidelis eſt, & magna ſanctorum patrum merita, ſed quandoque omnia ieiuna ſunt: negligentia nouercante. Siquidem puritas Ieremiæ nil emolumenti contulit populo: pro quo prohibetur deprecari. Dei enim promiſſionibus, peccata noſtra obliuionem pariunt, quam ita diluit gemitus peccatorum, vt mutata in meliùs conſcientia: mutetur diuina ſententia. Ideo acceſſit ad adiutorium filiorum Iſrael, quod gemuerunt. *Ego* (inquit dominus) *audiui gemitum filiorum Iſrael, quo Aegiptij oppreſſerunt eos, & recordatus ſum pacti mei.* id eſt. Non eſt quo deſpondeas animum, ô Moyſes, omnia arrident auxilio populi mei. Fœdus inuiolabile quod præteriri nō poteſt, quo & ſi indignus fuerit populus, audiui gemitum filiorum Iſrael. i.

Iob. 4. *Ephe. 2.* *Hiere. 11*

non ſolum pietate moueor quod ab Ægiptijs opprimantur, verumetiam quia ingemuerunt. Poſſibile eſt (& ſi rarò) vt pater filijs non compatiatur. Noueris tamen omnem orantē a Deo non audiri. Ingemuit Antiochus, ſed in gemitu ſuo non erat miſericordiam conſecuturus. Cum lachrimis Eſau locum pœnitentiæ requiſiuit, tamen non potuit inuenire. Vterque enim pœnam horreſcebat, non culpā, quæ peccatorum eſt occaſio. Sed hijs lōgè peiores homines noſtrum habet ſeculum, qui nec culpæ odio, nec pœnarum metu vitijs temperant. Qui frequenter percutiuntur, ſed non ſentiunt, atteruntur & minimè dolent. Ingemuerunt Iſraelitæ oppreſſionem ægiptiorum, quæ dumtaxat durauit ducentis decem annis. Sed, prohdolor, Nemo Principum, qui nomen Chriſtianum, iactant ingemiſcit eccleſiam a ſpurciſſimis Turcis oppreſſam: qui ægiptijs longè ſunt crudeliores. Siquidē illi in corpora ſeuiebant: iſti verò in animas. Illi pueros flumine necabāt, iſti ſubtrahunt primogenitos Chriſtianorum, vt adulta ætate non ſolum a fide parentum habeantur alieni, verumetiam & eiuſdem fiant aduerſarij. Illi extra Ægiptum pedes non extendebant, iſti quotidie regna aucupantur Chriſtiana, occupātque cum poſſunt, vt dilatato tyrannico regno augeatur perfidia, magno fidei detrimento. Nemo neſcit eccleſiam ante annos quinquaginta, hæreſibus ita oppreſſam, vt Areiſmum totum ferè orbem inuaſiſſe crederes. Cum vix poſſit

2.Ma.9

Heb.12.

Iere. 5.

diſtingui inter ſacrũ, & ſaxũ. Pleriq; fide deſtituti & inter eos qui eam apud ſe reſeruatã exiſtimãtur, paucos reperies qui ꝑ ea velint morti occũbere. Omnia inuerſa ſunt, omnia quidem confuſa. Quæ oppreſſio maior dici poteſt, quæ Deum inſpectorem non mœretur habere, nec Prælatos niſi rariſſimos qui ſubleuent? Ob id prohpudor quod nemo ingemiſcit, nemo dolet, nemo deflet vices Dei. Non Principes, qui magis ſubditorum rebellionem, quàm religionis obliuionem deteſtantur. Non Epiſcopi, qui redditibus quàm animabus, plus iuſto intenti ſunt. Non ſacerdos qui ne hæretico melior habeatur, nouis creſcentibus hæreſibus, nouas fraudes ſtruit, quibus beneficiorum pluralitatẽ fucata mente relinquens: vnico retento plures ſolito pecunias expungat. Non monachi quorũ officium eſt plangere, qui oris confeſſione hæreſim deteſtatur, incompoſitis tamen moribus, Prælatorum contemptu, pecuniȩ auiditate, voluptate carnis, diuini officij negligentia, mundanorum & ſecularium frequentia, ieiuniorum odio, & faſtidio literarum, demun ocio omniũ viciorum fomento, non minus hæreſes tuentur, quàm impia aſſertio. Non Doctores qui magis lenocinio verborum delectantur, quo plebis aures demulceant, quàm doctrinæ veritate, maluntque dici pacis amatores, quam hæreſum acerrimi obiurgatores. Non ergo mirũ ſi Chriſtus dominus ſui pacti recordari non videatur,
Mat. 16 qui Eccleſiam ſuam nunquam à portis inferni ſuperandam prædixit, & promiſit. Sed Eccleſiæ

oppreſſio,præſidio non carebit, ſi ſpiritu ſancto impulſi gemitibus inenarrabilibus orauerimus. *Rom. 8.*
Ingemiſcamus ergo, non Ægiptiorum onera: ſed viciorum & iniquitatum, quæ capita noſtra ſupergreſſæ ſunt, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper nos: ingemiſcamus, quia incolatus noſter prolongatus eſt, ingemiſcamus in hoc corporis tabernaculo grauati,habitationem noſtram quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes: tanquam filij Iſrael Deum patrem noſtrum honorantes vt recordetur pacti ſui, & audiat *2. Cor. 5.*
gemitum noſtrum, eripiatque nos de Ægipto, id eſt de poteſtate tenebrarum ſpiritualiũ (quæ ſunt hæreſes) & eorum qui Eccleſiam Dei auerſantur. Interim doceamur non opprimere fratres noſtros, quia faciet dominus vindictam *Luc. 18.*
electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte. *Ideo dic filijs Iſrael. Ego dominus qui educã vos de ergaſtulo Aegiptiorum, & eruam de ſeruitute eorum.* Iubetur Moyſes certam et futuram libertatem nunciare,non omnibus oppreſſis, ſed filijs Iſrael, non quidem omnibus qui ex Iſrael ſunt, ſed *Rom. 9.*
Iſraelitis qui ſunt ex promiſſione, quorũ adoptio eſt filiorum,& gloria, & teſtamentum, & legiſlatio & obſequium & promiſſa. *Dic filijs Iſrael &c.* id eſt annuncia pacem, & a laboribus requiem,& libertatẽ hijs qui veri filij ſunt, qui *Eſa. 28.*
ſi offenderint, non renuunt patris diſciplinam, nec poſuerunt ſpem ſuam mendacium, nec pro peccatis ſecuritatem expectarunt: cum flagellũ inundans pertranſiit. *Dic filijs Iſrael, &c.* Docentur in Moyſe omnes,qui euengelizandi mi-

niſterium ſuſceperunt, vt quemadmodũ debent
2.Thi.4 mortis cõminatione impios deterrere, arguere,
increpare, vt auertãtur a via ſua mala, & viuant.
Ita debent pios ſolari & puſillanimes cõfortare.
Et quos nouerint in tribulationibus patientes
Phlip.3. & fiduciam in Deo habentes afflictionum bre-
uitate,& futurę gloriæ promiſſione erigere.Hãc
igitur futuram libertatẽ Apoſtolus Philippen-
ſibus (qui erant veri Iſraelitæ) nunciabat.d. Sal-
Iacob. 5. uatorẽ expectamus dñm Ieſum, qui reformabit
corpus humilitatis noſtræ cõfiguratum corpori
claritatis ſuæ. Sic ob perſecutionem diſperſis fi-
delibus loquebatur.d. Iacobus dicens. Patientes
eſtote fratres,vſque aduentum Domini. Illis ve-
rò qui mundi fauorem aucupantur dicit. Agite
Hiere. 6 nunc diuites,plorate vlulantes in miſerijs veſtris
quæ aduenient vobis. Nam maximè dominus
Deus eos qui falſum Prophetæ nomen iacta-
bant auerſabatur, quod vanis ſpebus paſcerent
populum, ſanantes contritionem populi cum
Eſaye. 3 ignominia dicentes. Pax pax, & non erat pax.
Et quidem decipiebant populum quem falsò
dicebant beatum, Sic impius Achab vanis Pſeu-
doprophetarũ promiſſis deceptus a Sirijs loco
victoriæ, iaculo interiit. *Et in brachio excelſo, &*
3.Re vl. *iudicijs magnis reducam eos.* Cum brachium excel-
ſum audis, inſignẽ diuinã potentiam puta. Cum
autem audis iudicia,exiſtimes velim brachiũ do-
mini, iudicijs magnis non carere: ne ſola pote-
ſtate veluti tyrãnni dimicare credatur, ſed iun-
cta iuſticiæ,& æquitati,quæ veris Dei iudicijs ad
verum effectum protrahitur. Iudicia autem Dei

magna ſunt quæ exuperant omnem ſenſum, & intelligentiam ac præter omniū expectationem executioni fuerunt demandata. Quis vnquã existimaſſet populi contagione mortis, agni ſanguine liberandum: populum furto immunem cum nomine mutui vaſa aurea & argentea aſportaret, atq; impotentes fiẽdos magos, vt producere non poſſent pediculos: qui ſerpentes fecerant? Non enim, inquit, cogitationes meæ ſicut cogitationes veſtræ, neq; viæ meæ, ſicut viæ veſtræ. Nam iudicia eius abyſſus multa. *Aſſumam vos in populum, & ego ero veſter Deus.* Quo inſtruimur, vt nemo Deo poſſit cõiungi, quandiu oneribus peccatorum (qui in oneribus Ægipti typum habuerunt) præmitur. In cuius figurã aſina non potuit vectare Chriſtũ, & Ieruſalem ingredi, niſi vinculo ſoluto. Nec transferri poſſumus in regnũ dilecti filij Dei: niſi de poteſtate tenebrarũ erepti. Noueris etiã populũ Iſrael nondũ perfectè in Dei aſſumptũ populum: ante ſacrificij ſolemnitatẽ. Ne chriſtianiſſimum putes ſalutarẽ, quẽ ſacrificiũ corporis Chriſti in celebratione miſſæ coſecratũ, non decorat. *Et ſcietis quod ego ſum dñs Deus veſter.* Sæpe Deus hãc liberationẽ inculcat, quæ liberationis factæ per chriſtũ typus erat, qm̃ non eſt*aliud ꝓter quod magis Deo gratias agere debeamus quã propter mortem filij ſui: qui vtique noſtra eſt liberatio. Ob id ſummopere cauendũ eſt, ne tãtum ac tale beneficium obliuione ſepeliatur. *Leuaui manum meam vt darẽ eam Abrahã, Iſaac, & Iacob.* Quemadmodum contigit quandoq; filios ſuis ſedibus

Eſaye.55

Mat.21.

* *Chriſoſtom⁹ in xx Mat.*

deturbari in vltione peccatorum patrum etiam qui hinc diſceſſerũt. Exemplo ſunt poſteri Saulis, & Iehu. Ita Patriarchæ iamdudũ vita functi
Iob. 8. diuina promiſſione cẽſentur honorati, quod filij eorum terram promiſſionis poſſederunt. At multò magis habentur præclari qui cœlũ incolant, quod nobis promiſſum eſt, modo illorum imitatione ad illud euehamur. Nam ſi fide inconcuſſa Abraham exultauit, expectans vt poſt multas annorum centurias filij eius poſſiderent
Rom. 2. terram, in qua manebat peregrinus, num maiore perfundetur lætitia ſi nos ſuæ fidei cõſpexerit hæredes, & cœlorum futuros poſſeſſores? *Qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus, & opus duriſſimum.* Magna quidem Dei clementia, quæ populi duritia non remoratur. Cũ ta-
1.*Reg.* 15 men ira & indignatione habeantur digni, qui non aquieſcunt veritati. Et quaſi idolatriæ ſcelus reputetur nolle aquieſcere. Sed mœretur
1.*Co.* 10 veniam faciliùs, qui manca transgreditur libertate. Et ideo fecit dominus cum tentatione prouentũ, qui per Apoſtolum iubet aſſu-
Rom. 14 mi infirmos in fide. Sic Chriſtus imbecillitatem fidei Apoſtolorum tulit, qui tamẽ Phariſęorum arguit incredulitatẽ. Iubet ergo dominus Moyſi vt loquatur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. Nouerat enim figmentum populi. *Ecce non audiunt filij Iſrael. Et quomodo audiet Pharao, præſertim cum ſim incircunciſus labijs?* O quã difficile prædicandi munus, & arduum. Siquidẽ auditores rarò placidos habet. Etiam ex hijs qui veritatem profitentur. Nec igitur mirum ſi ho-

die hæretici Iudæi, vel Turcæ, Eccleſiam auerſentur cum plebs noſtra: bellorum incommodis percita, tędio habeat verbũ Dei, imo iudęis peior effecta, tanta conſtringitur ſpiritus anguſtia, vt libenter ſacerdotes domini hæreticis occidendos proderet, imo libentiùs quàm rei familiaris minimam ferre iacturam. Quibus apte dici poteſt illud Apoſtoli, nondũ vſque ad ſanguinem reſtitiſtis. Interim diuinę iuſſionis adeò inualuit robur, vt obſurdeſcentibus filijs Iſrael, Pharao aures præberet, tametſi ſteriles ſi finem ſpectes, Quia interdum tonitruis exterritus, ad præces Moyſi prouocat, ne omnino ſterile verbũ Dei exiſtimetur, quod portendebat vt repellentibus Iudęis verbum Dei a gentibus ſuſciperetur, quorum plenitudine introducta, tandem reliquiæ Iudæorum ſaluæ fient. Et tunc fiet vnũ ouile, & vnus Paſtor.

Heb. 12. *Act.* 13 *Rom.* 11. *Ioan.* 10

Homilia XV.

Luc. 18. 1. *Cor.* 1.

Dixitque dominus ad Moyſem. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis. Trita eſt ſententia quam ſemel atque iterum inculcat euãgelium. Qui ſe humiliat exaltabitur, quam ſententiam exempla quàm plurima manifeſtant, nõ eorum gratia tantum, quos ad maiora euehendos diuina clementia iudicat. Sed eorum etiã quos diuini nominis iniuria plus iuſto ſubleuat, vt per infima, & exigua, fortia & potentia confundantur, vt tandem non glorietur omnis caro. Itaque cæteris omiſſis, Moyſes & Pharao, documẽto nobis erunt. Ille enim regni faſtigio

elatus, pro minimo duxit Moyſem contempſiſſe, verum nec Deum erubuit: quem dominum cognoſcere nolebat .d. Quis eſt dñs? Dominũ non cognoſco. Iſte verò iã diuino oraculo illuſtris adeo ſe ipſum demiſit, vt legatione ſe pro dño fungi indignum exiſtimaret. Ob id ille qui currib⁹, & armorũ præſidio ſe potentiſſimũ rebatur in pediculorum, ranarũ, & muſcarũ redi-
Iob. 6. gitur poteſtatẽ. Iſte verò cœlis imperat, & cæteris creaturis ad nutũ vtitur. Et quaſi Dei collega eo peruenit: vt pro Deo haberetur ſi typũ ſpectes nõ naturã. Quẽadmodũ Pharao qui homo
Pſal. 2. erat, figura extitit diaboli & ita poſtmodũ Iudæ contigit. Sed operepræcium eſt obſeruare (ne inſimulemur erroris) quomodo Moyſes Deus cẽſeatur. Nõ certè Deus, quo nemo maior. Nec
Mic. 5. Deus omniũ, ſed tantũ Pharaonis, ſicut textus indicat. *Ecce conſtitui te Deũ Pharaonis.* Cũ conſti-
Heb. 3. tutũ audis, nequaquã ab æterno Deũ fuiſſe puta. Ne quiſpiã Chriſtũ perinde atque Moyſem, Deũ eſſe exiſtimet. Qm̃ & ſi iuxta humanã naturam cenſeatur a Deo Rex conſtitutus ſuper Syon
Num. 12 montẽ ſanctũ. Deus tamen conſtitutus nuſquã legitur, cuius egreſſus a diebus æternitatis eius eſt, & poteſtas æterna. Nã ille per Apoſtolũ famulus. Iſte verò Dei filius declaratur. Interim velim obſerues hic diuinã ſeueritatẽ clementia nõ caruiſſe, quę puniendi Pharaonis cauſa, Moyſem tortorẽ, aut percuſſorẽ Pharaonis nõ cõſtituit: ſed Deum, vt non niſi in obſtinatũ animaduerteret, & humiliatum non perderet. Quandoquidẽ Moyſes erat mitiſſimus ſuper omnes

homines,qui verſabantur in terra. Cuius tamen manſuetudo longè minor eſt mãſuetudine Dei, quì ſuauis eſt vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Ob id Moyſem Deum Pharaonis conſtituit. Quia indignus erat, qui Deum negauerat incidere in manus Dei. i. immediatè, Dauid namque peccauerat, ſed maluit in man' Dei incidere, quàm in manus hominũ, dicens. Multæ miſericordiæ eius, quaſi dicat, De' meus eſt, quem licet offenderim negare tamen non poſſum Deum, cuius gratia ſum id quod ſum, percutiat, ſecet, etiam ſi me occiderit: in ipſo ſperabo. Et quià non renuit Deum vltorem, inuenit eum protectorem. Siquidem pleriſque peſte confectis, incolumis permanſit. Secus verò contigit Pharaoni, & hiis qui Deum auerſantur. Quorum alij fœminas, alij Reges, alij voluptates, alij verò auram popularem, alij demum diuitias pro dijs habentes, eò miſeriæ lapſi ſunt, vt tandem omni ſolatio deſtituti, æterna vita priuarentur. *Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. Quia te contempſit Pharao cum locutus es nomine meo, conſequens fuit contemnerer & ego, cum ergo eius Deum te conſtituerim, tuo affatu indignus eſt, quem iam meo indignũ reddidi, per me tamen non ſtabit quominus reſipiſcat, quia non omnino auferam ſalutis remedia loqueris Prophetæ tuo omnia quæ mando tibi, & ipſe loquetur ad Pharaonẽ vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. Quod ſi non dimiſerit, Deum contempſiſſe non minus reputabitur, quàm ſi nullo intercedente, Deum Pharao audiuiſſet.

1. Paral. 21.
Iob. 13.
Luc. 10

Tanta eſt enim Apoſtolici muneris excellentia, vt qui Eccleſiaſtem contempſerit diuinæ maieſtatis reus cenſeatur, qui vos ſpernit [D. Chriſtus Apoſtolus] me ſpernit, qui autē me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Et olim non per Prophetas hominibus loquebatur, quorum corda munda repererat, ſed quia hanc a ſeipſis homines excuſſerunt gratiam, neceſſum fuit ad ſecūdam nauigationem adiicerent, nempe vt per Eccleſiæ præfectos, & literarum apices diuino eloquio potirentur. At intelligas velim eos qui propheriæ dono gaudent vt nō putes verbū Dei indiſcriminatim cuiuis credendū. Audi dominū loquentem, Moyſes loco Dei habetur, & præter Aaronem neminē Prophetam habet. Quoniam qui verè Moyſi typum implent, & diuinitatis Chriſti arcanum capiunt pro dijs habendi ſunt, vt eorum opera & cura populus Pharaonis, & ægipti i. Satanæ & vitiorum iugum excutiat, & in ſolitudine, quę a mundo aliena eſt, corporis Chriſti frequentet ſacrificium, qui populus, prěter eos quos fidei Catholicæ veritatis vera fraternitas iungit, Prophetas habere non debent. i. Eccleſiaſtes verbi Dei. Nam Iudas ob proditionem Apoſtolica ſocietate deturbatus, ſucceſſorem niſi Mathiam habuit, ex hijs viris qui fuerant cum Apoſtolis congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter eos dominus Ieſus. Conuerſum nuper Paulum timent Apoſtoli ſecum admittere, quòd frater nondum crederetur. Veruntamen non temerè dixerim Chriſtum poſt typum Moyſi verè mundo apparuiſ-

Chriſo ſo. 1. in Math.

Populus fidelis non debet habere eccleſiaſtes niſi catholicos.

Act. 1.

paruiſſe, verũ Deum patri æqualem, & ab eodẽ ab æterno genitum. Et in Aarone Eccleſiam figuratam vel Eccleſiæ paſtores, quos nõ cõfunditur Chriſtus fratres vocare. Nam ſicut Moyſes quæcunque Deus mandauerat reuelauit *Heb. 2.* Aaroni. Vtique Chriſtus, quæcunque audiuit a patre ſuo nota fecit Apoſtolis, vt docerent quęcunque præceperat. Vide ſcopum diligenter, & *Ioan. 15.* typũ Moyſi & Aaronis in Chriſto & Apoſtolis completum cõperies. Ob id paret Aaron Moyſi: vt eripiatur populus de Ægipto. Et Apoſtoli *Mat. 18* Chriſto, vt mundus credentibus oppletus nocere non poſſit fidei. Saluamini D. Petrus, a ge- *Act. 1.* neratione iſta praua, & Ioannes. Nolite dilige- *1. Io. 2.* re mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Apoſtolus docet fugere fornicationem, & idolorum culturam, & deſideria multa, & nociua & iuuenilia. Hæc omnia docere, quid erat aliud quàm populum de Ægipto educere? Nec aliud *1. Cor. 6* loquitur Aaron Pharaoni quàm Moyſes, nec aliud Moyſes Aaroni; quam Deus Moyſi. Nec aliud quam Chriſtus docet Eccleſia, ſicut nec aliud Chriſtus Eccleſię quam Deus pater loquitur. Qui igitur credit Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ; quæ Chriſti interpres eſt, vtique decipi non poteſt. Qui verò illam auerſatur, a ſcopo veritatis aberret neceſſum eſt etiã licet Angelus de cœlo aliter nunciet. *Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægipti: & non audiet vos.* Neſcio ſanè quid potius admirari debeam, an Dei clementiam, & patientiam. An Pharaonis duriciam, & obſti-

nationem,conſidera rem non ſegniter, & clariùs luce videbis damnationem reproborũ adeò non eſſe.Induratio enim a Deo inducitur, ſi ſubſtractum gratiæ auxilium ſpectes: non cauſam, Sed ille cenſetur induratus qui in vanum Dei beneficia ſuſcepit,ſimilis arenoſę terræ, quæ tãto durior,quanto abundantiùs cõpluitur aqua, cuius tamen effectus non eſt obdureſcere. Siquidem eius influentia terra moleſcit, quæ fructuum patiens eſt. Non igitur indurandi cauſa Deus multiplicauit ſigna, & oſtenta in Ægipto,
3. Re. 18 imo ne induraretur Pharao ea induxit. Alioquin quomodo non obduruit populus Iſrael videns ſacrificium Helie aqua non mediocri madefactum,eius precibus igne cœleſti abſumi? Quo-
Act. 13 modo non obduruit ſergius Paulus, primum Apoſtoli ſpolium, qui nomen dedit Chriſto videns Magum, verbo & iuſſione Apoſtoli excecari? Aut quomodo non obduruit Samaria quæ prius Symonis magi præſtigijs dementata, ad-
Act. 8. hæſit tandem fidei, videns ſigna quæ fiebant a Philippo dyacono? Itaque erant in Ægipto ſigna, fidei fomenta, ſed cordis duricia obſtitit ne ſignorum exhibitione verbo Dei crederetur nichilominus obſiſtere non potuit vt verbum Dei nõ compleretur,quoniam ſequitur. *Immittamque manum meam ſuper Aegiptum, & educam excercitum & populum meum filios Iſrael de terra Aegipti.* Q. D. Seuiat Pharao quantum libuerit & effuſa inſania compleat tyrannidem,cœlo me deturbare poterit, ſi eius arbitrio, manus mea valida remoretur. Nam pro minimo ducam in

illum ſolum eam mittere, ſed in totam Ægiptũ, cuius præſidio: ridicula temeritate nititur. Nec temerè totam Ægiptũ affligam. Quoniam non ſola Regis culpa populum meum vexat, verum & Ægiptiorum de quibus ſuperiùs dicitur. Oderant Ægiptij filios Iſrael. Multis hic inſtruimur documentis, primũ. Nulla eſt tam ingens poteſtas, quæ diuinum propoſitum poſſit auertere. Secundo, quod fideles patienter expectent diuinum præſidium, maximè quando fidei & religionis cauſa patiuntur. Imo etiã ſi ob iniuſtè facta: modo accedat reſipiſcẽtia, etiã ſi futuræ proſperitati omnia videantur aduerſa. Rarò aut nũquam contingit Tyrannũ qui Deum auerſatur, morte quieta diẽ extremũ clauſiſſe. Nulla etiam hæreſis tam impia, quæ finem non acceperit aliquando, vt eo erigamur ſolatio quod tyrãnides ſemper ſeuire non poſſunt: nec mendacia diu fallere. Plerumque ita ſecundis rebus adhæremus, vt deſperemus auxilium, quod rationis humanæ iudicio perſpici non poteſt. Cum tamen ſæpe Deus per iudicia magna affligat. i. quæ rationem humanã exuperant. Ideo merito Iudith Bethulienſes corripuit, quod diuinum auxilium dierũ numero metirentur. Nec video cur dominus tam exigua manu hæreticorum, noſtram Franciam affligi permittit, niſi quod liberanda non creditur ob multorum proditorum conniuentiam, qui carnis & ſanguinis nimium amatores: nolunt hæreticis obſiſtere. Sed timeant illi ne alia occaſione [quod futurum ſpero] liberetur Francia, imo & Eccleſia, *Iudi. 8.*

ipſi verò intereant. *fecit itaque Moyſes & Aaron, ſicut præceperat dominus. Ita egerunt.* Ardua fuit filiorum Iſrael liberatio, quod Pharao reſiſteret. Sed Moyſi & Aaronis obedientia luſit Pharaonis reſiſtentiam. Nemo ergo miretur hæreticorum noſtri temporis diutinam contumaciam, & eccleſiæ per eos opreſſionem. Quoniam Eccleſiæ præfecti, & Principes, quorum opera & ſtudio, iamdudum eccleſiaſtica vnitas quieuiſſe debuit, magis confregerunt iugum. Siquidem iudices fieri non debent, nec primates, niſi valeant virtute irrumpere iniquitates ne fortè non extimeſcant faciem potentium, quemadmodum videmus hoc noſtro tempore contigiſſe, quod Moyſes & Aaron, id eſt, poteſtas eccleſiaſtica, & ſecularis in vnum charitatis vinculum minime coëunt. Probro enim habet poteſtas ſecularis poteſtatem eccleſiaſticam, & eccleſiaſtica ſecularem vitam ſectatur. Vide quàm ſint hodie Deo inobedientes, qui principatum obtinent. Quandoquidem præcipit Deus diuini cultus aduerſarios vita priuare, & de propria contumelia non expetere vindictam. At minima perciti iniuria nemini parcũt, neque ijs qui ſanguinis neceſſitudine propinqui ſunt. Nec appetunt hæreticorũ vitam niſi cum ſe laceſſitos ab eis ſenſerint. Faciant igitur quæ præcepit Deus, & non erit hæreticorũ tam ſeua perſecutio: a qua non liberetur populus. Nam diſcipuli Chriſti, aſinam, & pullum eius ſine diſcrimine ſoluerunt, tametſi quidã reclamauerint. Quia, inquit, euangelium. Euntes fecerunt ſicut præcepit eis Ieſus.

Eccle. 9.

Mat. 21.

Obedietia ergo magis opus eſt in arduis: quàm violentia armorum. *Tulit virgam Aaron coram Pharaone, & ſeruis eius quæ verſa eſt in colubrum.* Hic præuaricationis ſignum Pharaoni datur, vt virgam æquitatis, & iuſticiæ, quibus reges illuſtrari debent colubro fraudis doceretur commutaſſe, tranſgreſſionis Adami ſequens veſtigia, quem ab initio conſtituerat dominus rectum ſed cum talem non intellexiſſet honorem proiectus eſt in terram factus iumentis ſimilis. Et tanquam coluber tortuoſus, verborum circuitu excuſationem texebat Quid non ſimile fecit Pharao, qui fallacia verborum, filios Iſrael ocioſitatis inſimulabat, vt ſacrificium domino offerre cupientes: grauiùs ſolito affligeret? Colubrum in via fore prędixit Iacob Antichriſtum omnium tyrannorum caput, quod fraude, & verſutia, plures fidei rectitudine & æquitatis deturbabit. Neque hijs ſunt abſimiles noſtri temporis hæretici, qui ob id maximè a fide ad hæreſes (quæ fraudibus conflantur) defecerunt, quod proiecti ſunt in terram, id eſt, quia aucupantur mundi oblectamenta, & bonis eccleſiæ, quæ bona ſunt pauperum, ditari deſiderant *Proieceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſa ſunt in dracones.* Vnico Aaroni plures ſapientes, & malefici: iuſſu Regis obſiſtunt. Quia mendacijs nituntur, multitudine armari deſiderant. Sed non eſt apud Deum vlla diſtentia vtrum in paucis auxilietur: an in pluribus. Rebatur Pharao ſe ſuperatum iri Deum, ſi vnico Aarone plures haberet ſuæ fraudis fautores, maximè qui ſua-

Eccle. 15

Eſa 48.

Gen. 48

2. *Pa.* 14

rum fraudum maiorem haberent oſtentationẽ. Siquidem virga Aaronis in colubrũ dumtaxat, virgæ verò maleficorum in dracones factę ſunt. Quis autem ambigit dracones colubris potentiores? Coluber namque repere tantum: Draco vero alis nouit extolli, quia filij hui⁹ ſeculi pru-
Luc. 16. dẽtiores ſunt filijs lucis. Perſpice diligẽter. Vbi hæreſum virus, ibi maior aſcendit ſuperbia, maior conatus, & fucatæ ſanctitatis ambitio vehementior. Si enim de veritate agatur, ſimplicem habebis ſtillum, & verborum decipulis omnino
Prou. 21 alienum. Si autem hæreſes locum habeat, politis ſermonibus, & arte dicendi ſibi componit alas, quibus veritatem nititur tranſcendere. Sed non eſt ſapientia non eſt concilium contra dominum. Quemadmodum typo & figura declaratur cum dicitur. *Sed virga Aaron deuorauit vir-*
1. Cor. 1. *gas eorum* i. Coluber Aaronis, dracones maleficorum, nec mirum quod per verbum Dei coluber, Dracones verò incantationes Ægiptiacas, & Diabolicas prodibant: Exigua enim ſi verbo Dei fulciantur, fortia ſuperẽt neceſſum eſt. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientiùs eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortiùs eſt hominibus. Videbantur virgæ maleficorum deuoratrices, ſed deuorari, non deuorare potuerunt. Nõ enim fuit tam vafra hæreſis tamque diutina, & vehemens, quæ ſinceritate fidei, & rectitudine Eccleſiæ, non fuerit aliquando exploſa, & de multis vnum ſufficiat exemplum. Alexander Conſtantinopoli Epiſcopus, lõgè melior quàm doctior cum ſuſcepiſſet diſputare cum Philo-

ſophis qui ad fidei defectionem inducebant, vni eorum imperauit vt in nomine domini Ieſu taceret. Et tunc cohibuit eos qui magnificentia dicendi extollebantur. Nonne ergo virga illius Epiſcopi, deuorauit virgas maleficorum? *Induratum eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos.* Pharaonis duritia, vt excuſaretur erat indigna, vt pote quæ non ex ignorantia ſed ex malicia prodibat. Magnum erat vidiſſe maleficos virgas ſuas feciſſe dracones, ſed maius erat vidiſſe virgam Aaronis, deuoraſſe virgas maleficorum, Sed [vt prouerbium habet] quod exiguum eſt magno comparatur præcio: cum ſemel placuerit. O regum periculoſa conditio, quæ ſæpius iniquorum adulatione decipi quam ſapientium doctrina corripi deſiderat. Sic Achab contempto Michea Propheta Siriorum ſagitta confoditur. Sedechias Ieremiam adulatoribus poſtponens amiſſis luminibus, & regno: perpetuis mancipatur carceribus. Fraude ergo maleficorum, auerſus eſt Pharao Deum, quibus hæretici ſuccedunt quia quẽadmodum Iamnes, & Mambres reſtiterunt Moyſi: Ita & hij reſiſtũt veritati homines corrupti mente: reprobi circa fidem. *Et eleuans virgã percuſſit aquã fluminis coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in ſanguinẽ.* Priore ſigno fraus & fallacia Pharaonis exprimitur, & nõminus ei' tyrannis hoc ſecũdo ſigno, vt pote qui ſanguine puerorum aquã infecerat. Nũc vero cruorẽ pro aqua recipit, quia futurum erat vt Iudæi poſtea Pharaone effecti peiores, aqua baptiſmi fierent indigni: ſolam Chriſti ſanguinis vltionem ferẽ-

Nicep. lib. 8. cap. 15.

2. Thi. 3

tes. Nam quemadmodum Ægiptij pro aqua ſanguinem bibentes, ſatiari non poterant: imo affligebantur. Sic quorum aqua vertitur in ſanguinem.i. manſuetudo in tyrannidem ſanguinem martyrum ſitientes, priùs patiebantur in corde: quàm illi in corpore, Herodes volens
Gene.4. cruoris effuſione puerorum innocentium: regnum conſeruare, ſibi conſciuit tot in corpore tormenta, quot in eodem habebat membra. Cõciſa facies indicabat Cayn cruciari: iam fratris
2.Ma.9 ſanguinem ſitientem. Anthiocus qui Ieruſalem cadaueribus mortuorum infecerat, in hanc incidit miſeriam: vt proprij corporis fœtorẽ non ferret. *Piſces qui erant in flumine mortui ſunt.* Apud Eccleſiaſtem homines piſcibus comparantur. Quia inquit, ſicut piſces capiuntur homo: ſic
Eccle.9. homines capiuntur tempore malo, ſicut ergo piſces ſine aqua putreſcunt, nec viuere poſſunt. Ita nec ſaluari homines poſſunt ſine baptiſmate quod partim aqua conſtat. Mortui ergo ſunt illi non ſolum qui baptiſmo ſunt eluti, ſed qui mãſuetudinem Chriſti quam in baptiſmo induerunt, crudelitate, & ſeueritate in ſanctos commutarunt, aut caſtitatem voluptate. Siquidem vidua viuens in delicijs (quæ interdum ſanguinis nomine cenſeatur) mortua eſt. Itaque fieri
1.Thi.5. non poteſt vt qui carni & ſanguini aquieſcit, de ſuſcepto baptiſmate: commodum ſalutare ſuſcipiat. *Et fuit ſanguis in tota terra Aegipti.* Ægiptus certè tenebræ interpretãtur. Qui ergo non illuſtratur lumine fidei, cæteris facili' ſanguini.i. voluptati adhęrebit,. Nã iuxta naturę.i. ſauguinis,

ductum viuere, eſt hominis qui nondũ credidit. *Incantationibus ſuis*. Non poteſt mundus lędere quenquã, niſi ſuo accedente arbitrio Ecce Magi contradicere Moyſi non poſſunt niſi plagæ immiſſæ a domino ſuperaddent & ipſi plagam. *Et induratum eſt, &c*. Eo modo quo iam ſuperius declarauimus. *Foderunt autẽ omnes Ægiptij, &c.* Hic perpende hæreticorũ typũ in Ægiptijs, qui bibere de flumine antea potuerũt, ſed accedente culpa corrũpitur flumen ne bibere poſſint. Et ad miſerię cumulũ foderunt nõ ſine labore: interim operã ludentes. Sic hæretici, maximè qui Caluino nomen dederunt, priuſquam corrupiſſent veritatem ſacrorum bibliorum & Eccleſiæ, ſatiari.i. doceri, & inſtrui poterant. Sed poſtquã eam deprauarunt, hoc labore præmuntur vt fodiant in circuitu. i. vt interrogent ſine fine ſemper addiſcentes, & nunquã ad ſcientiam veritatis peruenientes. *Impletique ſeptem dies, poſtquã percuſſit dominus fluuium*. Perpetuitas ſeculorũ hoc numero declaratur. Quo docemur, quod hæretici ſemper ſanguini adhærẽtes nunquam ſatiabuntur. Quia qui aliquando conuertuntur, non ſunt cenſendi hęretici, cum hęreſis obſtinatione impleatur, Si verò hæreſi finem nõ abhibuerint, tunc complebuntur ſeptem dies in eis.i ſemper Eccleſiæ ſanguinis rei permanebunt, & caſſo labore ſatietatem vitę æternæ habere non poterunt, quam obtinent qui iuſticiam ſitiunt non ambulantes in circuitu ſicut impij, ſed viam rectam non declinantes ad dexteram, atque ad ſiniſtram.

Iuſtinus ad Zenã & ſerenum.

2.Tim. 3

Mat. 5.

Pſal. 11

Deut. 5.

Homilia XVI.

Dixit Dominus ad Moyſem. Ingredere ad Pharaonem & dices ad eum. Hac dicit dominus dimitte populũ meum, vt ſacrificet michi. Nolim dubites Pharaonẽ ſeruis adulatoribus abũdaſſe aut ſaltẽ cõniuentibus vt pote qui ad tam ſtupenda ſigna eius animũ emollire nollẽt. Sanè
4. Reg. 5 nõ omnino rarũ eſt, vt hortatu famulorũ de inſania ad ſanã mentẽ redeãt qui præficiuntur. Nã Naamã Helizæi percitus ſolitudine, cũ lepra patriã repetens, cõſilio ſeruorũ Prophetę obediẽs: receſſit incolumis. Mitius egit Sedechias cũ Ieremia in gratiã Abdemelech eunuchi Æthiopis. Ionatas irã patris aduerſus Dauid exortã compe-
Ier. 38. ſcuit. Sed Pharaonis feritatẽ nullus ſeruorũ eius legitur mitigaſſe, quibus forſitã non adhæſiſſet, quia adulatorũ amator, ſicut Roboã, qui accepto ſenũ cõſilio, toti regno imperãſſet, ſi populũ ſubleuaſſet ab onere, quo hactenus præmebatur. Nõ temerè igitur importunitate ranarũ Pharao ſuæ rebellionis ſenſit incommoda. Vt qui inuocationem nominis domini [ſine qua ſacrificium
3. Re. 12. non fit] impedire nitebatur, clamoribus ranarũ importunis & improbis, eius obtũderentur aures, quæ verborũ, & præceptorũ Dei fuerant impatientes vt ille per eas torquerẽtur, per quas ad veritatẽ obſurdeſcens peccauerat: ſi tamẽ merito torqueri Pharao potuerit hoc afflictionis genere, quod non minus Dei mãſuetudinẽ: quam irã declarabat. Siquidem magis ignominioſum eſt hoc animal: quã offenſiuũ, vt doceretur ille

priùs ad ignominiã reſipiſcẽtiæ, ergo a Deo vocari: quã ad pœnã deſtinari. Imple(inquit Dauid *Pſa.* 82.
de ſimilibus loquens) facies eorum ignominia,
& querent nomen tuum dñe. Nam priuſquam
Iudæi regno deturbarẽtur & vita, quod hæredẽ *Mat.* 21.
patris extra vineã eiecerunt & occiderunt, volebat eos ad pœnitẽtiam per erubeſcentiam priùs
adduci. *Et ebulliet fluuiùs ranas quæ aſcẽdent &c* Ex
eodẽ fluuio piſces & ranæ prodeunt. Et ex eodẽ
chriſtianiſmo, qui flumine per baptiſmũ deſignatur, fideles & hęretici veniũt intelligẽdi. Et
quẽadmodum in Euangelio, fideles piſcibus, infideles ranis ſignãtur. Sic ranæ quæ aſcenderunt
de fluuio non incõcinnè hæreticis aptantur. Nã
inutiles ſunt ranæ & mortiferę, ſi anteriorẽ partem ſpectes, quod importuno clamore laceſſunt
homines, & eorũ quietẽ impediũt, nec proſunt
ad cibum. Si verò poſteriorẽ ſpectes partẽ: non
prorſus ſunt inutiles quæ comedi poſſunt. Nec
quicquã vtilitatis afferre poſſunt hæretici, niſi in
parte poſteriori. i. quando vitam morte cõmutarũt. Et quid importuniùs hæreticis, quibus ſilentium tormentũ eſt, & tranquillitas cruciatus, qui
pacis a Deo ſunt impatientes vt corã ſe Doctioribus continere non poſſint, quin oblatrent aduerſus Deũ, & eius oĩpotentiam, aduerſus ſacramenta, atq; ſummi pontificis poteſtatẽ virginis
prærogatiuã, interceſſionẽ ſanctorũ, & alia multa fidei cõſona, maximè cũ nulla Principũ edicta
in eos aĩaduertũt. Alioquĩ ſimiles ſunt idolis qa *Pſa.* 113.
os habẽt, & non loquũtur. Et quẽadmodũ tẽporis ſerenitas, ad ĩprobos clamores ranas excitat,

quas tamen tonitruũ coercet. Sic hæreticis nil eſt impudentiùs, & loquatiùs præſertim quando eos miſſos facit impunitas. Sed ſi in eos iuſta exerceantur iudicia, nil eſt taciturniùs. Itaque ranę ebullientes aſcenderunt de flumine ad

Mat. 26 domũ Regis ob id quod Rex obſorduit ad Dei mandata, ita plerumque contingit, vt quia verbum Dei contemnitur, creſcant hæreſes, aſcendant ranæ de flumine. i. relinquant hæretici Eccleſiam de qua orti ſunt per baptiſma, & aſcen-

Ioan. 12 dant, quia origo hæreticorum eſt ſuperbia quæ aſcendit per arrogantiam, ranę ita relinquentes fluuium aſcenderunt. quia nunquã Chriſtianus reliquit fidẽ niſi vt aſcendat .i. vt in hoc mundo eleuetur, & exaltetur. E contra. Vide Chriſtũ &

Act. 1. Ioãnes in flumine deſcẽdẽtes. quia Chriſt⁹ petebat a Ioãne baptizari. Et Ioãnes petebat ab hoc miniſterio excuſari, ratus ſe indignum vt maiorem ſe baptizaret. Vis videre ranam aſcẽdentem

Ciuitat. Dei lib. 10 cap. 29. de fluuio? Conſpice Iudam abeuntẽ de collegio Apoſtolico ad Principes, & dicentẽ. Quid vultis mihi dare & ego vobis eum (de Chriſto loquens) tradam? Cur ergo abibat niſi vt aſcenderet & obtenta pecunia paupertatem relinqueret, obtineretque apud maiores hunc fauorem, vt qui erat paupertatis, & humilitatis diſcipulus fieret dux militię. Sic pleriq; fidem Chriſti reliquerunt humilitatem erubeſcentes. Quid cauſæ eſt (inquit Auguſtinus ad Porphirianos) quod Chriſtiani eſſe nolitis, niſi quia Chriſtus humiliter venit: & vos ſuperbi eſtis? *Et ingredientur domum tuam.* Locacitas, vanitas error men-

dacium,hæreſis,fallacia,quæ omnia ſignãtur ranis,ad Regum, & Principum palatia facilẽ aditum habent, ſi comes iniuſticia præceſſerit, ſimul atque verbi Dei contemptus, exemplo nobis eſt Achab Rex Iſrael, qui cõtempto Michea Dei Propheta, induxit Pſeudoprophetas quadringentos multo peiores ranis, quibus adhærens:vitam perdidit & regnum. *Et in cubiculum lectuli tui.* Iuſſerat Pharao maſculos hebræorum interfici,& fœminas reſeruari, non compaſſionis,ſed laſciuiæ cauſa. Vt ergo qui peccauerat in lectulo,in eodem torqueretur. i. ranis laceſſitus vt ſecundum menſuram delicti, fieret & plagarũ modus. Ea propter,Dauid ſtratum ſuum lachrimis abluebat quem infecerat adulterio, vt ſeipſum diiudicãs a domino non diiudicaretur: qui non punit bis in idipſum.Ranas in cubiculo lectuli ſui Salomon habuit, qui adamauit mulieres alienigenas multas quibus copulatus eſt ardentiſſimo amore,quæ auerterũt cor eius quod per eas deprauatum eſt vt ſequeretur Deos alienos. Nec rarò,prohpudor,noſtra ætate videmus quamplurimos, qui poteſtate ac dominatione clarent, non niſi mulierum [quibus auariciæ cauſa nupſerant] vaniloquio, & hortatu a fide eccleſiaſtica defeciſſe.Quam maximè id ſit periculoſum Regibus liquidò conſtat in ſcripturis. Siquidem Ioram patre Ioſaphat ſatus, vxorem filiam Iezabelis duxit, quæ tandem eum a patris religione abduxit,& Iezabel concitauit Achab. Et per eam abbhominabilis factus eſt. Itaque cũ mulierum loquacitas adeo aures regum demul-

3.Reg.8

Deu.16

Pſal. 6.

3 Reg.11

ceat vt a fide deficiant. Nouerint lectulos ſuos ramibus abundare. *Et in domos ſeruorum tuorum.* Vt parem ſubeant pœnam qui in eadem culpa Regi ſuo ſubſcripſerunt & fauerunt. Eſſe enim immunes non poſſunt ab hæreticorum dogmate, qui Regi hæreticos audienti, pro virili: placere adnituntur de quibus appoſitè dicitur, Princeps qui libenter audit verba mendacij: omnes miniſtros habet impios. Cum autem
Pro. 29. ſeruos audis nolim eos tantum opineris: quos aulicos vocant, verumetiam eos qui ad magiſtratum euecti ſunt, quorum deſidia aut perfidia, impuri, & ſactilegi cultus: puritati fidei officiunt. Quēadmodum vidimus contigiſſe in Regno Franciæ, in quo & ſi nullus vnquam Rex fuerit hæreſi labefactatus, adeò tamen conualluit Satanicum virus, vt quidem de Principibus (quos ſanguis regiùs contingebat) a fide defecerint: in quorum gratiam plerique iudicum maximè eorum, quos communis hæreticorum pecunia ad magiſtratum euexerat, conniuentibus oculis, & laxa impunitate, hæreticos quos flamma vindex debuit conſumpſiſſe: miſſos fecerunt magna fidei iactura. Itaque ranarum multitudo, id eſt, improba loquacitas hæreticorum ingreſſa eſt domū non Regis francorum tantum, ſed ſeruorum eius, inquam. i. aulicorum, militum, præfectorum & eorum qui publica excercent iudicia, didaſcalorum qui pueros magnatum educandos ſuceperunt, imo curſorum, & eorum qui hoſpicio excipiunt viatores, vt quouis modo hæreſis graſſaretur. *Et*

in populum tuum. Quádiu maliciæ Regis non arridet populus, & Deo obſequitur, nequaquam mali Regis populus eſt, nec illum ranæ tangere poſſunt. Nemo autem eſſe populus Dei poteſt, qui proximum odit. Atque oderant Ægiptij Hebræos & affligebant illudentes & inuidentes eis. Ob id meritò populus Pharaonis dicebãtur, qui cum eo ranis affliguntur cum quo nouerant & populum affligere, vt poſt corruptos mores, corrupti cultus fierent participes, haud certè abſimiles pleriſq; de populo qui religionem, & fidem iuxta Regum arbitriũ obſeruant, vt ſi Regum ferat voluntas ne quicquam immutetur de religionis antiquitate: perſeuerent & ipſi. Quod ſi contingat Regẽ a fide deficere valefaciant etiã fidei, vt non tam hæretici quã athæi cenſeantur. Nouerint igitur Reges ſe non exiguam pœnam daturos, quorũ ſtudio & opera populus Deum auerſatur. Nam Ieroboam culpatur nedum quod vitulos adorarit, ſed quod populũ peccare fecerit. *Et in furnos tuos.* Vide quàm peruia ſint omnia diuinę iuſſioni, etiam quãtumuis videantur difficilia. Nõ erat loc⁹ apud Ægiptios in quo non eſſent ranæ, etiã vbi non expectabãtur venturæ, propter ignis calorem: vt interim diſcamus nichil Deo reſiſtere poſſe. Quis ergo locus a ranis eſſe immunis potuiſſet, cũ hijs furni abundarent? Nec habet popul⁹ dulces carpere ſomnos, cũ hæreſim inuaſiſse furnos, quos nõ temerè dixerĩ Paſtores, & Doctores Eccleſiæ. Nã in furno panes decoquunť, & paranť ad eſcã. Pariter nec doctrina populo ꝓdeſt, quæ igne veri luminis

a Paſtoribus, & Doctoribus diſpoſita, & diſtributa vnicuique iuxta capacitatem. Ob id comparat Chriſoſtomus ſacerdotes Eccleſiæ ſtomacho corporis: cuius eſt decoquere cibum. Quod ſi contingat ſtomachum malè habere, totum corpus malè habeat neceſſum eſt. Vbi ergo erit tuta fides, cum viderimus eam in Paſtoribus, & Doctoribus nutantem? Deſtrue furnos, vbi panes dequoquentur? Aufer Doctores & Paſtores quos poſuit dñs in Eccleſia ne tãquam paruuli fluctuantes, omni vento doctrinæ transferamur, quomodo audiet populus ſine prædicante, & ſi non audierit, quomodo credet? Et ſi non crediderit, quomodo ſaluabitur? Dominus ergo nobiſcũ ſit. Quia ſi dereliquerimus eum, ipſe derelinquet nos, & tranſibunt dies multi abſque ſacerdote, & Doctore, & abſque lege, cum aſcenderint ranæ in furnos, id eſt cum legiſperiti, & Doctores tulerint clauem ſcientiæ, & non introierint: ſed prohibuerint volentes intrare. *Et in reliquias ſeruorum tuorum.* Verus cibus
Rom. 10 verbum domini eſt ſine quo viuere non poſſu-
2. Pa. 15. mus, qui propter doctrinæ diuerſa argumenta,
Luc. 11. interdum nomine plurali cenſetur. Quia multipbariam multiſque modis, locutus eſt dominus patribus in Prophetis. Et quia indigni ſumus vt Deus per ſe nobis loquatur. Ideo adiecit dominus ſacras ſcripturas, quæ appoſitæ ciborum noſtrorum reliquiæ dici poſſint. Sed ecce extremũ vindictæ genus, vt ranæ ingrediãtur reliquias ciborũ, vt non ſatis fuerit ſi Paſtores corruperint legem. Verum ad hoc ventum eſt vt aptentur

tur

tur per ſacras ſcripturas error,quæ tamen diuinitus inſpiratæ, vtiles ſunt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſticia,vt perfect⁹ ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Ranæ igitur reliquias ciborum ingrediuntur,cum hæretica loquacitas, exploſo.ſ. ſcripturæ ſenſu, ſuæ fraudi corruptum ſenſum cudit. Aut [vt noſtra etate contigit] ſic ſ. ſcripturis adimit veritatem, vt matrẽ omnium errorum vocitare non erubeſcat, quẽadmodum effutiuit impius Stuelkſendius : cum ſuis aſſeclis. Quis ambigit hanc irrepſiſſe hæreſim,niſi in odium peccatorũ noſtrorum, vt fame affligamur, non panis & aquæ: ſed audiẽdi verbum Dei? Sed qui panum fragmenta colligi iuſſit ne perirent, intercedente reſipiſcentia, ranas occidet, & auferet hæreſes, & tunc reliquiæ ciborũ, i. ſacræ ſcripturæ permanebũt illibatæ, & incolumes, imo clariores patebunt cũ multos habuerint emulos quia veritas oppugnari poteſt:vinci tamen non poteſt. *Aſcenderuntque ranæ, operueruntque terram.* Non enim hæretici aſcenderent, nec limites ſuos relinquerent, niſi vt operiant terram i.dilatent ſedes ſuas dominandi cauſa. Et ſicut ranarũ multitudo inconſulto & inuito Deo terrã non operuit, vt ſciant fidei deſertores a ſeipſis decipiendi voluntatẽ habere, poteſtatẽ tamen a Deo, vt in hora & poteſtate tenebrarum non glorientur : in qua rabiem ſuam excercere permittuntur. *Orate dominum vt auferat ranas a me & a populo meo, & dimittam populum vt ſacrificet domino.* Myſterio certè non caret : cur Pharao

2.Thi 3.

An. 8.

Ioan. 6.

rogarit pro auferendis ranis, qui nec legitur rogaſſe vt ſanguinis horror: in naturam aquæ rediret. Hoc enim ad noſtrã inſtructionem factum eſt, vt non ſit tam atrox bellum, tamque, ſeua perſecutio, quæ nobis eſſe debeat ita horrori & terrori, quàm hæretica prauitas. Quæ in ranis Ægipti typum habet. Et vtinam Reges, & Principes noſtri hac in re, eſſent Pharaoni abſimiles, vt ranas aſcendentes, id eſt, loquacitatem hæreticam ſuis regnis deturbare ſtuderent. Nam Chriſtus non orauit, vt martyrum ſanguis non funderetur, quem ſuæ eccleſiæ proſpiciebat ornamentum grande, ſed rogauit

Luc. 22. ne fides deficeret. Plurimum enim emolumenti mors martyrum contulit eccleſiæ. Hæreſis verò nullius gloriæ auctrix eſt, ſed fidei diſſipatrix, veritatis hoſtis, multorum lues & contagio: quæ orationibus maximè venit diluenda. *Conſtitue michi quando deprecer pro te.* Grandis eſt Regum poteſtas, ſed ſacerdotum maior quos non maiores clientum & militum turba facit, ſed fidei integritas & morum probitas. Regale faſtigium ſi hominum fauor non acceſſerit: potentiorem Regem facere non poteſt. Sacerdos verò ſi comitem conſcientiam puram habuerit, tunc potentior eſt cum totum mundum habuerit aduerſarium. Conſidera rem ſegniter. Ecce Pharao ſuis Ægiptijs & maleficis ſtipatus, ẽ regione vides Moyſen & Aaronen ſolos, & tamen Pharaone, & toto Ægipto fortiores. Conſpice igitur quantum virtus valeat. Orat Rex Moyſem, Rex quidem

qui putabatur fortis, Moyſem ſolo baculo nixum [ſi externa ſpectes] ſed Deo ſuffultum, Quia qui Deum comitem habet, toto mundo fortior eſt, & nichilominus in tanta fortitudine non ſpernit Pharaonem, in cuius ſalutis gratiam hæc ſigna faciebat: magis quàm afflictionis. Et qui mitiſſimus erat, ſine fraude & dolo in poſterum nichil doli in Rege ſuſpicatur, ſed expectat reſipiſcentiam, vt doceamur facilè amplexari eos, quos externis indicijs ad reſipiſcentiam ſperamus, eos maximè quos regale faſtigium, aut magiſtratus, & principatus contingit ſublimitas, cum talium conuerſio ſine multorum ſalute fieri non poſſit. Ob id Moyſes annuit. *Conſtitue michi quando deprecer pro te.* In Regis poteſtate diem conſtitutum poſuit, quo commonſtret nullum tempus præfixum diuinæ poteſtati, ſiquidem omni tempore: omnia voluntati Dei patent. Interim conſtitutus dies petitur, quia orationem debet præcedere mentis præparatio. Quoniam & ſi Deus ſemper ſit parat⁹ exaudire. Non eſt tamen a Deo ſanctus, qui tamen ſemper paratus ſit orare. *Mortuæ ſunt ranæ.* Scilicet quæ ad flumen non redierunt, quia hæretici qui ad gremium eccleſiæ non redierint: pereāt neceſſum eſt, vt quēadmodum extra archam Noe, ſaluari a diluuio nemo potuit. Neq; extra eccleſiā cum dn̄s ad iudicandum venerit, qui palmitē in Chriſto per eccleſiaſticā vnitatē non manentē: in ignē ęternū conijciet. Diſcamus Deū obſeruare non a Pharaone cōſtitutos dies ſed ab eccleſia vt hijs diuinā clemētiā

Nu. 12.

Ioan. 15

deprecemur, quatenus auferat a nobis ranas, id eſt, loquacitatem hæreticam, detque nobis ſermonem bene ſonantem in auribus noſtris, vt audientes, & credentes, tandem cum beatis ſaluemur. Amen.

Homilia XVII.

Videns autem Pharao, quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum Exigua eſt orationis virtus ad quã maximè ſola impellit neceſſitas nõ charitas. Qui enim ſola neceſſitate ad orandum impellitur, ſubtracta neceſſitate orare
Luc. 18. dedignatur, cũ iuxta euangelicũ oraculũ: oporteat ſemper orare,& nunquã deficere. Siquidem ſemper egemus, aut a malis liberari aut ne in malum incidamus, faciem domini orationibus præuenire, quæ fundi non debent, ſine obediendi affectu. Nam in oratione dominica docemur petere vt voluntas domini fiat in terra ſi-
Mat. 6. cut in cœlo. Siue igitur quieſcamus, ſiue laboremus,ſemper eſt orandum. Quia non ſolum in agonia paſſionis legitur Chriſtus oraſſe, verum-
Luc. 22. etiam & in gloria transfigurationis demonſtratus. Imitemur ergo Chriſtum, non Pharaonem, qui non niſi neceſſitate compulſus, pro ſe orari Moyſem & Aaron eſt deprecatus. Videbatur quidem charitate motus, quod non ſolum pro
*Mat.*17. ſe orari poſtulauit, verum & pro populo ſuo. Sed non populi gratia, ſine quo Rex eſſe non poterat. In quo neſcio quid potiſſimum admirari debeam, aut Dei clementiam qui in Mo-

yſi & Aaronis gratiam, cum a ranarum ignominia liberauit tametſi prœuideret Pharaonē obſtinatum iri. Sed apud Deū plus valuit ſeruorum probitas : quam Regis perfidia , qui pro ſe ſupplicantes auerſatus eſt, per quos requiem apud Deum impetrauit, nec audiuit eos : ſicut præceperat dominus. Aut eiuſdem Pharaonis inſtabilitas quæ Regibus non congruit , qui non niſi ſolida & fixa debent proferre verba. Sed fix⁹ in verbis eſſe non poterat, cuius cor infidelitas occuparat. Nec ille fidelis eſſe poteſt : qui Deum omnipotentem ignorat. Nec omnipotentem credere poteſt,cuius poteſtatem temporis limitibus cōcludit, quemadmodum Pharao qui promiſſis reclamauit videns datam requiem. Si enim ſemper Deum poſſe vltionem extendere, & ranis vitam dare credidiſſet, nacta pace & requiè a morte ranarum , timuiſſet iterum ſimilem penam ſubire, & in tot vel plures incidere ranas . Sed ingrauauit cor ſuum vt non ſolum cordis duriciam retineret verūquidem & illam auxit: dignam maioris indignationis faciēs. Vide quantū nocēāt ſuſcepta Dei beneficia ſi ingratitudo acceſſerit , quamobrē monemur ab Apoſtolo ne in vacuum gratiam Dei *2.Cor.6*
recipiamus , alioquin: grauiùs nobis continget.
Nam Achab ob idolatriam morte dignus, cōtra *3.Re.20*
Benadab apud Deum victoriam obtinuit, qui in Dei contumeliā abutens, dignus interitu a Propheta nunciatur . Seruus euangelicus traditur *Mat. 18*
tortoribus,quod decē milium talētorum debito ſolutus , ſimilem gratitudinem conſeruo pro

minore debito non fecerit. Nunc ſimile videbis in Pharaone,qui ob id quod rogaſſet liberatus a ranis ſuffocabat conſeruum.i.populū Dei,quem in anguſtijs clamantem audire noluit, ob id traditur tortoribus nō hominib',non angelis, non demonibus,nec vrſis,ſed pediculis, veluti ſi Rex quiſpiam perduellionem & rebellem puniri iuberet famulatu hominis omnium viliſſimi. *Extende virgam tuam, & percute puluerē terræ, & ſint cyniphes in vniuerſa terra Aegiptij perinde ac ſi dicat.* Diſcat impudens & perfidus Pharao eos quos Deus miſerit reuerti, & eorum timere poteſtatem quorū deſpexit clemētiā: qua indignus eſt. Extēdi virga non poteſt ſine manu,cui iungitur. Quid eſt ergo quod iubetur Aaron virgā extendere, niſi quia ſacerdotes,& Doctores, quorum munus eſt docere, debent docere maieſtatē Dei [quæ virga cenſetur] & diuinitatē, ad nos vſque extendi,nō tamē ſine manu.i.ſine incarnatione? Quia ob id filius Dei incarnat' eſt,vt nomen Dei annunciaret, videlicet myſteriū fidei, miſericordiam, veritatē, fuiſſe extenſam.i.inclinantē, qua terra percuſſa eſt, & puluis. Quid enim faciebat Chriſtus,cum in tanta paupertate naſceretur,ieiunaret, & paupertatem eligeret, lauaretque diſcipulorum pedes, niſi extendere virgam, id eſt, docere equitatē,& percutere terrā.i.confundere ſuperbiā hominū qui nō temerè terrę & pulueri
Ioan.13. aſſimilantur quorū cuilibet dicitur.Quid ſuper-
Eccl.10. bis terra & cinis? Paulus namque extendebat
Act.9. virgam & percutiebat puluerem terræ quando confundebat Iudæos & affirmabat quoniam

hic eſt Chriſtus, & quidem hoc tantarum miſeriarum tempore, quo videmus homines non infime ſortis ad verbum domini obſurdeſcere, & iudicia tremenda non reformidare. Chriſti ſacrificium negligi, tunc potiſſimum Eccleſiaſtum munus eſt virgam extendere percutereque puluerem terræ id eſt annunciare diuinam æquitatem, inflexibilem iuſticiam Dei, & eius maieſtatem. E regione, hominum qui plus ęquo eriguntur, propalare vilitatem, inutilitatem, vanitatem, & eorum inſtabilitatem. Quandoquidem impij tanquam puluis ſunt inſtabiles quē proijcit ventus a facie terræ. Nomine venti velim intelligas mendacium, quia qui nititur mendacijs hic paſcit ventos. Ventus ergo proijcit *Pſal.* 1.
impium a facie terræ, quando mendacium, hæ- *Prou.* 10
reſis fomentũ, ſeparat ab Eccleſia eum qui Deũ auerſatur. Vis videre puluerem proiectum a facie terræ. Vide Pharaonem promittentem ſe liberaturum populum Dei modo auferantur ranæ, ſed habita requie, promiſſa non impleuit, & mentitus eſt domino tanquam impius, ob id tãquã puluis proiectus eſt a facie terræ. Et in typũ ſuæ humiliationis percuſſus eſt puluis terræ, ex quo cyniphes prodierunt, quo ſua contunderetur arrogantia, & eius cordis duricies manifeſtaretur. Quod magis moleſtum erat populo Dei. Sicut puluis tunc virga percuſſus nil aliud quam pediculos produxit, qui moleſtarent homines, & beſtias. Nec aliud egit Pharao exiguus puluis, quando ſenſit virgam Dei quam magis ac magis populum Dei infeſtare.

Sicut fera cum læſam ſe ſenſerit, quemcunque obuium ſine delectu inuadere nititur. Nec te-
Luc. 1. merè pediculis Pharaonis feritas cenſetur, quia facilius animaduerſio diuina molimina Regia ſuperabit, quam homo pediculū occidere poterit. *Et facti ſunt cyniphes in hominibus & iumentis.* vt populus Iſrael diſceret, in poſterum non ſolū non gloriari in hominibus verū nec in equis eorum & quadragis quæ hiis vehuntur, videns eos tam exiguis animalibus affligi, quemadmodum exprobratum eſt hijs qui eis ſucceſſerunt ve, inquit Propheta, qui deſcendunt in Ægiptum, ad auxiliū in equis ſperantes, & habentes fiduciá ſuper quadrigis quia multè ſunt, & ſuper equitib⁹ quia præualidi nimis, & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael & dominū non requiſierunt, cum tamen validior hijs omnibus ſit, qui ad nutum ſuperbos, & potentes humiliat. Conſidera namq; in hominibus ſapientiam, & in equis poteſtatem quantum libuerit, interim vide cyniphes de puluere excitari. i. ſi myſteriū requiras, pauperes & humiles qui etiam quandoque nomine vermium cenſentur. Imo neque Chriſtus nomen vermis erubuit .d. Ego ſum vermis & non homo, ſi humilitatem ſpectes, & iudicium hominum qui eum humano ſoda-
Pſal. 21. licio indignum rebantur. Humiles ergo de puluere per virgam domini ſuſcitantur, quando eligit Deus infirma vt confundat fortia. i. ho-
1.*Cor.* 1. minum ſapientiam, & poteſtatem iumentorum. i. eorum qui ob feritatem nomine iumentorū cenſentur. Vis videre cyniphes de puluere fa-

ctos in iumentis,& hominibus?Conſidera apoſtolos quos de puluere terræ elegerat dominus, quorum ori & ſapientiæ non poterant reſiſtere aduerſarij eorum. Tunc ſanè fiebāt cyniphes in hominibus.Cum autē minas principū contemnerēt,tunc fiebant cyniphes eorū in iumentis.i. cū eorū poteſtatē contēnerent,vt non gloriaretur oīs caro.Non ergo glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, ſed glorietur qui gloriatur noſſe Deum. Non enim rarum eſt: vt potentes exigua manu ſuperentur. *Feceruntque ſimiliter malefici vt educerent cyniphes: & non potuerunt.* Tentantur interdum pij malorum præſtigijs,ſed nō effuſa menſura. Alioquin non fieret ſalua omnis caro. Ob id breuiabuntur Antichriſti dies in electorum ſolatium. Nec fuit aliquando tam aſtuta hæreſis, quæ tandem decipiendi finem non acceperit, ne quis animū deſpondeat. * Atque hæc eſt verè dementia nō cogitare, nec ſcire quod mendacia non diu fallunt. Symon magus in Samaria populum decipiens poſt Philippi aduentum,vim ſuarum præſtigiarum perdidit. Bis atque iterum malefici Ægiptiorum: ſigna edere a domino permittuntur, ſed terræ puluerem pediculis commutare non potuerunt, ne trine incantationes ſolidum haberent teſtimoniū veritatis,ſed quaterna effectum habere non potuit, vt priores incantationes proderet luſorias. Arbitror etiam maleficos hac vice operam luſiſſe in gratiam Regis, Deo ita cohibente, ne continua maleficorum incantatione illectus, maiorem ſuæ rebellionis excu-

Luc. 11. *Hier. 9.* *Mat. 24* * *Cypria. ad Cor. lib. 1. epiſt. 3.* *Act. 21*

ſationem obtenderet. Tanta eſt enim Dei miſericordia, vt etiam improbis non niſi ſero: media ſalutis adimat. Nam hoc ſigno territi malefici, non temerè dixerim eos poſtea temperaſſe incantationibus: qui prius vocante Rege, paritate ſignorum Moyſi contradicere nitebantur. Siquidem non leguntur plagis extremis noua confinxiſſe ſigna, vt hijs deterior credatur hæreticus qui confundi non autem vinci poteſt. Non enim hij tunc impugnarunt, ſed dixerunt.
1.Thi.1. *Digitus Dei hic eſt*. Hoc ſolatio erigatur fides noſtra, vt habeat aliquando defenſores: quos habuit impugnatores. Inter Iudæos non habuit Eccleſia acerbiorem hoſtem quàm Paulum. Fui (inquit) perſecutor, blaſphemus, & contumelioſus. Nam eius conſenſu Diuus Stephanus, lapidibus obrutus, occubuit: iniecit etiam violentas manus in D. Iacobum minorem, narrante Sancto Clemente, & præcipitem &
1.Cór.5. claudum ſimul effecit. Veruntamen ad fidem conuerſus pro fidei ſinceritate: plus omnibus Apoſtolis laborauit. In noſtræ fidei myſterijs, non eſt inter Doctores latinos profundior Auguſtino quem tamen conſtat annos ſuos priores hæreſi conſpurcaſſe, Cyprianus ſua exordia maculauit magia, quo tamen vehementiorem Eccleſia illius ætate non habuit: pro qua & ſanguinem fudit. Tranſeo ad eos qui in ſua permanſerunt perfidia vt oſtendam tantum eſſe virtutis robur in fide vt etiam eius aduerſarij: eidem ſuffragantur. Qui Ioſephi hyſtorias legerunt, ſciunt illum de Chriſto verum

& incolume dediſſe teſtimonium, & de eius reſurrectione. Et ipſe tamen (inquit Egeſippus) non credidit propter duriciam cordis & perfidiæ intentionem. Non tamen veritati præiudicabat quod non credidit ſed plus addidit teſtimonio, quod nec incredulus nec inuitus negauit. In quo Chriſti Ieſu claruit potentia æterna, quod etiam Principes ſinagogæ quem *Luc.* 4.
ad mortem comprehenderunt Deum fatebantur. Quinimò Chriſtus non diſtulit ad emulos prouocare pro ſuæ doctrinæ teſtimonio. Ecquis magis auerſatus eſt Eccleſiam Catholicam & Romanam quam Luterus & Caluinus? Multa tamen in ſuis ſcriptis reliquerunt, quæ clariſſimè ad eius conferunt defenſionem, tametſi id non conſulto fecerint nec animo recto. Sicut nec eorum didaſcalus Satanas qui non minus Chriſti diuinitatem quàm Petrus declamauit quem ne loqueretur cohibuit Chriſtus, cuius teſtimonio ſicuti nec hæreticorum æget Eccleſia. Sic tamen aliquando permiſſi ſunt quædam vera depromere, vt monſtretur veritas omnia ſuperuincere. O, vtinam noſtri temporis hæretici digitum Dei cognoſcerent quatenus credant poteſtatem ſine ſapientia nec ſine bonitate non eſſe. Nam in digito poteſtas, in articulis id eſt in flectione bonitas notantur, quod agit Deus ſine reſiſtentia: poteſtatis eſt, nichil ſine diſcretione ſapientiæ. Quod verò flectatur noſtræ condeſcendens fragilitati: non niſi bonitati imputandum venit,

interim vide quomodo ſignum iſtud, digitus Dei erat. Quandoquidem virgæ extenſio poteſtas eſt, percuſſio pulueris, quæ ſapientiæ humanæ euacuatio eſt: vera ſapientia cenſetur. Quod autem malefici ſimile facere non potuerint ne diutiùs Rex deciperetur, ex diuina prodijt bonitate, itaque ad exiguum ſignum malefici confeſſi ſunt veritatem. Nec video medium quo faciliùs hęretici conuertantur quàm per ſignum humile, vt extendatur virga ſuper puluerē terræ, id eſt vt paſtores relicto faſtu, Chriſti humilitatem ſequantur. Et ſic viuant, non vt dominātes in clero ſed fiant forma gregis, vt cū manſueti fuerint ad omnes, docibiles, patientes, cū modeſtia corripiant eos qui reſiſtunt veritati, vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis a quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. *Induratumque eſt cor Pharaonis.* Vt non ſolum Moyſi, & Aaron non crederet, verum nec maleficis quorū arti, & fuco magis quā Deo credere occaſionē ſumeret. Nec alio genio ſibi hæretici (maximè qui dominatione tument) magiſtros coaceruarunt prurientes auribus, niſi ad ſua deſideria auditum auertant a veritate, & ad fabulas conuertantur. Siquidem non religionis cauſa ſed populationis, vt miſerū popellum degluciant, & bona Eccleſiæ diripiant, mactent, & occidant, vt poſtquam vale fecerint Chriſtianiſmo, valefaciant & Caluiniſmo. Et tandem apud eos nec de vera, nec de falſa religione fiat cōmemoratio, vt ſine Deo, ſine lege, ſine religione,

1. Pet. 5.

2 Tim. 2

ſine ſacrificio, ſine veritate : extorres fidei permaneant. Sane Ægiptiorum malefici ſurgent in iudicio nedum aduerſus Pharaonem ſed aduerſus iſtos qui ateiſmum amplexantur. *d. Dominus ad Moyſem. Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone. Egredietur enim ad aquas & .d. ad eum. Hæc dicit dominus. Dimitte populum meum vt ſacrificet michi, & implebuntur omnes domus Ægiptiorum muſcis diuerſi generis.* Fœlix eſt qui cum peccauerit, exigua glaga præuenitur a domino, ne in plagam incidat inſanabilem vt cum ſibi ſagittas domini *Pſal.* 37. ſenſerit infixas poſtulet a domino ne arguatur in furore. Si vero addiderit præuaricationem, ſuper quo percutiet dominus? Sane relinquetur deſperatus, ſicut ciuitas quæ vaſtatur & erit demonibus in prædam, & in direptionem. Ob id *1. Reg.* 2. apprehendamus diſciplinam nequando iraſcatur dominus, & pereamus de via iuſta. Quemadmodum & Pharao, qui cum benigne corriperetur minutis animalibus, admonitionis potius *Rom.* 3. quam punitionis gratia: addidit præuaricationē. Ideo ſequitur comminatio poſterioris plage, quæ & ſi prioribus grauior longè tamen futuris mitior erat. Quo docemur inimicorum inſolentias ſuſtinere facilius, cum offendere Deum grauiùs ſit quam hoīem, quia ſi peccauerit vir in virum poteſt placari ei dominus, ſi peccauerit in Deum, quis exorabit pro eo? Interim imputatur magno probro Pharaoni tantas bonitatis Dei diuitias, & patientiæ, & longanimitates cōtempſiſſe & ignoraſſe quod benignitas Dei ad pœnitentiam adduceret, Sicut miſericors pater,

qui ne filius incidat in patibuli contumeliam:
eum flagris afficit. Ita dominus pedetentim Pharaonem plagis agit minoribus, vt harum tedio non incidat in maiores. Nam dominus nec delectatur minores infligere plagas. Alioquin non comminaretur, qui ſi punire delectaretur, cur prædiceret, qui correctis minarum effectus ſubducit? Moramque nectit, differtque, reis præſtans hanc occaſionem vt fugiendo maliciam & apprehēdendo veritatem, pœnas minimè experiantur. Comminatur igitur dominus quod implebuntur domus Ægiptiorum muſcis diuerſi generis, dulcis plaga, ſi grauiores ſpectes, ſed Regis & ægiptiorum tyrannidis demonſtratiua. Quid enim erat perſecutio Pharaonis, niſi typus perſecutionis Iudæorum, qui Chriſtum occiderunt, & Apoſtolos afflixerūt? De quibus Propheta ait. Circundederūt me ſicut apes, quæ non de ſe, ſed de floribus mella legentes, & aculeo pungentes: ſibi mortem aſciſcunt. Quid autem aptiùs de Pharaone dici poteſt, qui de populo Dei, qui fidei & virtutū floribus micabat, exigebat continuos labores, per quos ſuauem,
Pſa. 117 vitā melle dulciorem ſibi pararet? Qui quanto aculeū ſuum fortius infligebat populo, quem ad laborem effuſum cogebat, & flagellari iubebat,
Rom. 2. grauiorem indignationem ſibi parabat & ſecundum duriciam ſuā, & impenitens cor theſaurizabat ſibi iram (quæ morte amarior eſt) in die iudicij. Qui ergo cum ſuis populum Dei tanquā apes rem. familiarem expungentes, aculeo flagellorum lancinantes, meritò affliguntur: &

veſpis. *Faciamque rem mirabilem in terra Geſſem in qua eſt populus meus, vt non ſint ibi muſcæ.* Nuſquã adhuc dictum eſt quod dominus ſepararit populum ab Ægipti plagis. Sed quoniam perrarum eſt & dificile vt boni cum malis, leuioribus non ſordidantur peccatis. Ideo communi incendio quo reprobi ſuam ordiuntur gehennã, boni purgantur: & probantur. Sed quandoque bonos ab incommodis malorum ſeparat, ne omnino ſine prouidentia Deus eſſe exiſtimetur. & ſic malos a bonis diuidit vt ſicut horum miſeria, ſic iſtorum fœlicitas hîc habeat exordium. Sic diuiſit. B. Stephanum a Iudæis, vt ex viſione Chriſti, iam inter lætales petras pignus gloriæ acciperet. Illi verò iam ſtridore dentium gehennam ſibi debitam exprimerent. *Et venit muſca grauiſsima.* Quæ ſtatim plures dicebantur, nunc vna grauiſſima, quod vrgente Deo abigi non poterant, tanquam vna, & ſola fuiſſet muſca, tanta muſcarum multitudo, ſed ingredere myſterium. Iudæi vno animo cum regibus aſtiterunt aduerſus Chriſtum, tametſi in plures ſectas diuiſi. Factum eſt ergo, vt muſcæ diuerſi generis infeſtarent Regem, & ſeruos eius id eſt vt Iudæi ob hanc noxam ſint omni nationi odioſi, tametſi nationes omnes non eandem colant religionem. Quis dubitat Chriſtianos, turcas, idolatras, hæreticos diuerſi generis eſſe non naturæ, ſed cultus? Omnes tamen habent ſibi Iudæos infenſos. *Ite ſacrificate Deo veſtro in terra hac. Et ait Moyſes. Non poteſt ita fieri,* Sacrificare Deo bonum eſt, ſed non arbitrio re-

gum, maximè eorũ qui fidei ſunt extorres, neque etiam eorum qui nomen fidei dederunt, qui & ſi Eccleſiæ alumni ſint non tamen domini. Non poteſt itaque fieri vt ſacrificemus in terra hac contra Dei præceptum & proximi ſcandalum. Nam Ægiptij non æquanimiter ferrent, vt quæ pro numinibus colũt: ĩmolemus. Quo docemur typo, ne ſacrificium Eccleſiæ frequentetur, vbi multorum ſcandalorum habentur indicia, & hæreticorum molimina. Quandoquidẽ Euchariſtia fidelium communio eſt. Non poteſt igitur ſacrificari: vbi diuiſionis habentur auctores. *Ingrauatum eſt cor Pharaonis.* Neceſſitate cõpulſus rogari pro ſe poſtulauit, annuens vt in deſerto ſacrificarent, modo non abirent longiùs Sed precibus Moyſi, a muſcis liberatus, irritauit promiſſum: grauiorem ſibi parans Dei indignationem.

Homilia XVIII.

D*Ixit autem Dominus ad Moyſem. Ingredere ad Pharaonem.* Et ſi peccatorũ noſtrorũ radix, voluntas improba ſit, nichilominus rei familiaris abundantia: occaſionem delinquendi voluntati tribuit. Ob id. Quemadmodum, qui mederi nouerunt, curant quamprimum exerere ſanguinem nimio flegmate infectum: qui ſanitatis reddit corpus impatiens, & ad opera vtilia inualidum. Ita & dominus velut Archiater videns hominem rebus ſecundis donatum, & hijs abutentem in creatoris contumeliam

meliā, hiis eum deſtituit, quatenus inſoleſcendi prę́ſcindatur fomentū, vt quæ in hominis gratiā produxit: in eius remedium eliminet, quaſi vt prouerbium habet, canem percutiat ſpectante leone, vt cum viderit peccator animalia peccati expertia in ſuorum peccatorum vindictam plecti, ſe multò magis feriendum arbitretur, ſi non ſit rudior beſtijs factus. Nam ſi de populo qui non omnino a peccatis immunis erat. Dicebat Dauid iſti oues quid fecerunt? Quid dicendum cum propter nos pecora pereunt? Et cætera queque quæ ſenſum non habent? Qua venia dignum ſe iudicat, qui videt terram lugere, ob id quod ſua mendacia, maledicta, homicidia, furta, & adulteria inundauerunt ſuper terram. Conſideremus itaque peccati grauitatem, quæ interdum ad beſtias vſque deuoluitur: tametſi non peccent. Nam eas Niniuitæ ſuorum ieiuniorum participes fecerunt. Nec id quidem improbaſſe legitur dominus. Oues & boues flagellum Chriſti non euaſerunt, quæ ſola dominorum ſuorum culpa fuerunt in templum introductæ. Habebat ergo Pharao vnde ſuam contumaciam plangeret, ſi fontem lachrimarū duricia cordis non obſtruxiſſet, dum ex diuina comminatione (quæ conditionem admittebat) dum pecora ſua graui peſte deſtructum iri audierat. Poterat quidem hæc in animo ſuo voluere. Mei cauſa peribunt pecora campi? Me manebit factorum meorum impunitas? Hoc quidem ad reſipiſcentiam inuitare poterat, ſola cordis duritia non inuitabat, quam tamen Dei tanta

2 Re. 24 *Oſee. 4.* *Ione. 3.* *Mat. 21.*

mãſuetudo demulcebat qui non omnino comminabatur: ſed conditionẽ interponens dicens. *Quod ſi adhuc renuis, & retines ecce manus mea ſuper agros tuos & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & oues, & boues peſtis valde grauis.* Perinde ac ſi dicat. Iam præterita flagitia digna ſunt vt ipſemet pereas, ſed patienter expecto diſſimulans propter pœnitentiam, vt ſi tandem pareas, iuſticia obducatur miſericordia: & quæ hactenus geſſeris obliuioni contradantur. *Quod ſi adhuc renuis.* Ex inobediẽtia. *Et retines.* Ex crudelitate. *Ecce manus mea.* Cuius poteſtas in plagarum præcedentium ceſſatione exhauriri non potuit. *Sed ecce manus mea.* Quam hactenus lentis & remiſſis actibus ſenſiſti, nũc verò animaduerſionibus ſtrictiſſimis eam extendam, non quidem adhuc ſuper te, quem maior ruina manet, ſed ſuper agros tuos, id eſt, impedimẽto es populo meo vt non ſacrificet michi, nec me ſuis honoret ſubſtantijs ob id tua deſtitueris ſubſtantia. Et quia Ægiptij tui non æquanimiter ferrent vt animalia michi mactentur, occidentur & tua vt quod pietati denegatur, peſte graui in ſimilibus pereat. Et hoc vindictæ genus plerumque arua noſtra, vineæ & arbores experiũtur, quod decimas quas diuina æquitas eccleſiæ miniſtris & ſacramentorum diſpenſatoribus a populo exhiberi inſtituit, humana nequitia pleriſque in locis ſubtraxit, ex fidei defectione, aut ſacerdotum odio, aut quod communiùs eſt: ex auaricia. Quidem verò quod fauore, & poteſtate præſtant titulo coloniæ eas à curionibus exigunt, quas accepto vili præcio,

Sapi. 11.

metu in virum conſtantem cadente : concedere coguntur. Et langueſcunt curiones potiùs quam viuant , qui tales Parrochianos (veriùs dixero tyrannos) habent. Sicut igitur igni lignum ſubducens ignem deſtruit, ita qui annonam curioni eripit : conſequens eſt vt illum ſuo deturbet miniſterio . Et qui ſacerdotem ſacrificio deturbat non ſolum dignus eſt vt ſuis, verum & ſeipſo deſtituatur. Nam ob id maximè Ægiptij ſua perdiderunt pecora, quia ea in ſacrificium Domini : mactari vidiſſe noluiſſent . Cæterò , Ægiptus meritò patitur pecorum interitum, vt idolatria quæ Dei ſacrificium remorabatur , tali plaga tolleretur.
Quoniam ægiptij commutauerunt gloriam in- *Rom.* 1.
corruptibilis Dei in ſimilitudinem volucrum ,
& quadrupedum & aliorum brutorum : vt *Dan.* 14
quemadmodum Belis deſtructionem & Ser-
pentis occiſionem apud Babilonios, colliſio- *Reg.* 5.
nem Dagon apud Paleſtinos. Ita & pecorum occiſionem apud ægiptios, liquido conſtaret pecus non eſſe Deum , quod Deus mori non poſſit ſi naturam diuinam ſpectemus , pecus verò morti eſt obnoxium. Verumquidem Chriſtus mortem obiuit in humana ſuſcepta natura tantum : non diuina. At ſi de litera myſterium exertum deſideres. Quid eſt quod ob Pharaonis contumaciam , peſtis pecora inuadit quibus homines aut iuuabantur , aut nutriebantur, niſi quod ſpreto Chriſti ſacrificio [quod in populi Iſraelitici ſacrificio typum habuit]

omne ſubſidium ab hominibus tolleretur?Nam tolle ſacrificium miſſæ quod nobis paratum eſt aduerſus omnes aduerſarios ſiue demones, ſiue improbos homines,qui tentationis vel perſecutionis iaculo nos tribulant. Nullus equus fortitudinis aderit,vt præliemur aduerſus eos. Sane equus animal eſt bello aptum, & paratur ad diem belli quo deſignari poſſumus, vt congrediamur cum hoſtibus noſtris. Tolle idem ſacrificium, ob id quod experientia comprehendi non poteſt, nullus aſinus ſimplicitatis [qua maximè micat fides] iuuabit. Camelus autem pillorum ferax eſt,de quibus veſtimenta pœnitentiæ diſponuntur. Sed tolle ſacrificium. Verum, tam graui peſte tibi morientur cameli: vt pœnitentiæ fructus tibi inutilis videatur. Certe cilicio indui,temperare carnium eſu, humi dormire, carnem domare, ſi ſacrificium ſpreueris, peſtes tibi ſunt. Tolle ſacrificium, nullus Doctor (qui boue cenſetur) tibi viuet nec te docebit,ſed Doctorum relicto genuino ſenſu proprium ſequeris quod extremæ dementiæ eſt. Agri tui. i. ſacra bibliorum volumina erunt tibi peſtifera,non in ſeſe, ſed quia lapſus in hæreſim ſcriptura ſacra quæ datur tibi in paſcua & cibũ: erit coram te menſa in ſcandalum. *Mortuaque* Rom. 1. *ſunt omnia animantia Aegiptiorum.* Aegiptus tenebræ interpretatur. Vbi ergo tenebræ ſunt ſiue viciorũ ſiue hæreſum, nulla gratiæ vita eſſe poteſt: quia iuſtꝰ ex fide viuit. *De animalibꝰ vero filiorum Iſrael:nichil omnino periit.* Quandoquidem nõ viuendi gratia tantum reſeruabuntur: ſed ſacri-

ficandi. Sicut animalia diluuium dumtaxat euaſerunt, quæ archa Noe concludebantur: cætera vero periere. Sic quādiu aſtipulamur filijs Iſrael, non hijs qui ſecundum carnem, ſed qui filij ſunt promiſſionis, & quandiu manu diuinæ cuſtodiæ aſſeruamur: nemo poteſt nos de ea rapere. Nec ſilentio venit ſpernendum, quod non ſolū cultu, & fide filij Iſrael ab Ægiptiis erant ſeparati, *Gen. 7.*
verumetiam loco, & terra. Quo docemur rece- *Rom. 9.*
dere a tabernaculis hæreticorum: ne inuoluamur in peccatis eorum. *Et miſit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuum de hijs quæ poßidebant filij Iſrael.* Prouidentiæ Dei fuit vt Pharao mitteret ad videndum, vt ipſa certus experientia maiorem ſibi theſaurizaret indignationem: in *Ioan. 10.*
inſania & cordis duricia permanens. Videbat equidem verbum Dei (quod præteriri non poteſt) impletum. Nec hanc plagam fortuito cōtigiſſe exiſtimare poterat, ſed conſulto: ita quod excuſari non potuit. Quemadmodum Chriſtus
Iudæis exprobrabat dicens. Si non veniſſem & *Nū. 16.*
locutus eis non fuiſſem, & non feciſſem virtu- *Ioan. 15*
tes quas nemo alius fecit: peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, nec Eccleſiæ omnino nocet: quod ſerò fidei credatur. Quia vbi maior diſcuſſio: ibi maior veritatis declaratio & defenſio. Nam *Mar. 15*
Iudaica perfidia Chriſtum fictæ mortis inſimulare potuiſſet, ſi centurionis teſtimonio ipſum, mortuum illico Pilatus credidiſſet. Nec Chriſtianiſmo obfuit quod non niſi viſo Chriſto, Thomas eum reſurrexiſſe non crediderit. Au-

rum quod fuco caret, non poteſt ignis violentia ſuam gloriã perdere. Nec multorum tarditas aut incredulitas fidẽ eneruare. *Et miſit Pharao ad videndum.* Exploratio Pharaonis, occaſio gloriæ filijs Iſrael fuit, quod nichil omnino perijt inter
I. Pet. 2. eos, & illi met reſipiſcentiæ. Multũ enim emolumẽti affert Dei cultorib⁹ quod ab infidelibus proſpiciuntur, modo conuerſationẽ bonam habuerint vt in eo quod detractant de eis tanquam de malefactoribus ex bonis operibus eos conſiderantes glorificent Deum. Nec minus priſcorũ fideliũ vitæ puritas profuit: quã doctrinæ ſinceritas. Pleriq; enim imperatorũ eorũ qui aduerſabantur eccleſiæ, aliquãdo perſecutione legun-
Mat. 14 tur temperaſſe, propter morum integritatẽ, qua Chriſtiani vitam ſuam cõponebant. Ad tempus erubuit Hærodes. Ioannẽ Baptiſtam ſciens eum virum iuſtũ & ſanctũ. Nec video cur hodie perſeuerat Pharao induratus, id eſt, cur cœtus hæreticorũ aduerſatur Euchariſtiæ ſacrificio, & affligit populũ niſi quia videt in nobis pene omnia mortua corrupta, & inuerſa. Non inficior flammis dignos qui a fide ad hæreſes defecerunt in-
Philip. 2 terim tamen ſic mores noſtri componendi ſunt vt nulla occaſione ex nobis nacta: ad offenſionis lapidem impingant, ſed ſuæ voluntatis libidinæ ſola. Ob id monebat Apoſtolus Philipenſes vt omnia facerent ſine murmurationibus, & hæſitationib⁹, vt eſſent ſine querela, & ſimplices filij Dei ſine repræhenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ, ſed lucerent ſicut luminaria in mũdo. Ingrauatum eſt cor Pharaonis & non

dimiſit populum. Sanè nichil Pharaoni cõtulit, quod miſerit ad videndum quid filijs Iſrael contigiſſet, quod non pietatis ſtudio, ſed perfidia aut curioſa indagine didicerit. quotidie Iudæi ſacras legunt ſcripturas atque ita vident apud ſe omnia mortua. Vident Danielis ebdomadas cõpletas, temp⁹ a Iacobo Patriarcha prædictum: interim verò detrahunt ſacrificio. Hæretici qui maximè *Dani.8.* in ſacris literis gloriantur habent vnde videant *Gen.49* apud Iſraelitas. i. fideles ſacramenta viuere nec quicquã perire de hijs quæ ad verũ cultum Dei pertinent. Nam anno Domini, 1528. Luterus confeſſus eſt omnia bona in papatu eſſe, Præcepta decalogi, Orationẽ dominicam, Sacramẽta, Symbolum fidei, veruntamẽ ſacrificio non ſubſcripſit. Verum, rarò aut nunquã expectandum eſt vt qui fidei contẽptu ad rationes prouocant: ad gremium eccleſiæ redeant aliquando. Dic oro, cur Pharao plagis Dei toties laſceſſitus ſententiam non mutauit maximè hac vice, cum efficaci relatu ſenſerit ſibi infenſum Deum? Sed tunc indignior ſolito fuit: vt ſua duricia temperaret. Siquidem quod ad videndum miſerit ex incredulitate manauit, quia credebat communem interitum, quem ob rebellionem dominus particularẽ fecerat vel vt par eſt credere. Ideò ingrauatũ eſt cor Pharaonis vt non obediret Deo, exiſtimans deũ ſummũ eſſe aliquẽ Deum ex hiis quos cœca gentilitas colebat, qui ſuper beſtias principaretur: & non ſuper homines. Sicuti Sirij *3. Re. 20* bello ab Achab ſuperati, rebantur Deos montium fuiſſe Iſraelitis auxilio, & non Deos valliũ.

Vt igitur ſciret Pharao Deum eſſe Deum hominum & iumentorum percuſſis morte & peſte cunctis animantibus Ægipti nunc dominus comminatur ſe percuſſurum non ſolum iumenta: verumetiam & homines. *Dixit dominus ad Moyſem & Aaron. Tollite plenas manus cineris de carmino & ſpargat illum Moyſes in cœlum coram Pharaone, ſitque puluis ſuper omnem terram Aegipti. Erunt enim in omnibus, & iumentis vlcera & veſicæ turgentes in vniuerſa terra Aegipti.* Hic ſexta paratur plaga qua Dominus inſinuat tyrannos operam ludere, quando fideles perſequuntur imo ſeipſos lædere. Et profectò miſericordiæ eſt quod plaga quæ vltionis gratia inducitur inſtructione non careat. Nam notum eſt quod tanquam aurum in fornace probat electos dominus, in fornace inquam. i. tyrannide perfidorum qui adulterantur verbum Dei. Quia ſecundum Prophetam omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus. Cum adulterantes audis nolim ſemper exiſtimes eos qui voluptati carnis operam dant illicitam, ſed qui falſam colunt religionem: & veros perſequuntur cultores. Nõ enim legitur Iezabel præter virum proprium alium ſibi iunxiſſe libidinis cauſa, veruntamen dicebatur fornicatia: quod ob verum cultum Prophetas occiderit. Nomine ergo adulterantium, & clibanorum ſuccenſorum, hij depingũtur: qui fideles vero cultu deturbare nitũtur. Nã Abrahæ futuram filiorum perſecutionem prædicens dominus, clibanum fumantem demonſtrauit. Quid eſt ergo quod Moyſes & Aaron

Sapie. 3.
4. *Re.* 9.
Oſee. 7.
Gen 15.

plenas manus cineris de camino accipere iubētur, & in cœlũ ſpargere coram Pharaone: vt ſit puluis ſuper omnem terram niſi quod martyres igne furoris & iræ tyrannorum in cineres redacti, non ſunt in obliuione coram Deo? Iubentur ideo plenis manibus colligi, quia tanta Dei prouidentia conſeruabuntur quod de capitibus eorum: nullus peribit capillus. Cineres igitur de *Luc.* 12. camino ſuccēſo colliguntur, quādo corporibus martyrum occiſis, tunc tyrannorũ poteſtati ſubducũtur, qui poſtquam corpora occiderint non poſſunt animas eorũ occidere, nec habent amplius quid faciant. Abraham alloquēs Deum ſe cinerem & puluerē fatebatur. Quid ergo fuit de *Gen.* 18. Babilonico igne ope Dei ereptus, niſi cinis de clibano ſuccenſo collectus? Quapropter, nemo tormenta metuat, & terrores, quia non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem *Pſ.* 124. manus ſuas. Tunc iuſti ſparguntur in cœlum: cum eorum memoria, quam impij de terra tollere nituntur, conſeruantur in cœlo, quia in memoria æterna erit iuſtus. Sparguntur in cœlum cineres præſente Pharaone quando inter *Pſa.* 111. tyrannos aut hijs ſpectantibus & præſentibus: iam martyribus pignora gloriæ dantur. Nam. b. Stephanus tanquam cinis de clibano furoris Iudæorum ſpargebatur in cœlum, cum inter *Act.* 7. lapidantes Iudæos Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei & gloriam eius videret. Nonne martyres tanquam cineres æſtu martyrij adhuc ferventes ſpargebantur in cœlum præſente Pha-

raone id eſt præſentibus inimicis, quando miraculis chorruſcabant, & cœleſtes ſuſcipiebant conſolationes? Sparguntur cineres id eſt martyres quando eorum oppreſſio cœlum conſcendit. Sic in cœlum ſpargebatur Abel cuius ſanguis ad Deum de terra clamabat. Et, vt huic propoſito tandem imponam finem, ſparguntur in cœlum, qui afflictionibus aguntur ne Deo obſequantur. Et tamen afflictionibus, in Dei obſequio validiores fiunt, quorum mens ardentius fertur in Deum, & conuerſatio in cœlis tenaciùs heret. *Sitque puluis ſuper omnem terram Aegipti.* Sparſis in cœlum cineribus fit puluis ſuper vniurſam terram Ægipti, cum ex afflictione martyrum, ſequitur fidei dilatatio, fidelium multiplicatio, quia martyrum cineres, eccleſiæ ſemina ſunt, vt ex martyris nece tanquam ex frumenti grano: abundantiorem fructum ſuſcipiat Eccleſia. Putabat enim Iudaica impietas lapidum contuſione non ſolum ſanctum Stephanum, verum & Chriſtianiſmum deſtructum iri. At vide quantus fructus ſecutus ſit eo lapidato. Nam illa die omnes diſperſi ſunt per regiones Iudeæ & Samariæ præter Apoſtolos. Et ne videatur illa diſperſio fidei damnum peperiſſe. Audi quid dicatur. Et qui erant diſperſi pertranſibant euangelizantes verbum Dei, ita vt Philippus ſancti Stephani ſocius Samariam ad fidem conuerteret, & errores Symonis magi eliminaret, Ad hæc. Saulus qui & Paulus orationibus ſancti Stephani conuerſus ingentem & indicibilem fructum Eccleſiæ at-

Gen. 4.

Act. 8.

tulit. Inſuper eiuſdem Philippi opera præfe-
ctus Regni Æthiopum Chriſti myſterium ex
Eſaya intelligens: nomen dedit Chriſto. Ita *Rom. 1.*
vt tempore Apoſtoli fides Catholica in vniuer-
ſo mundo nunciaretur. Sicque ex paucis mar-
tyrum cineribus in cœlum ſparſis, factus eſt
puluis ſuper omnem terram id eſt illa ſimplex,
& pia fidelitas, non periit quidem vento erroris
ſed facta eſt ſuper vniuerſam terram Ægipti.
Quia vbi maior martyrum perſecutio: ibi am-
plior verbi Dei declaratio, & fidei dilatatio.
Quod ergo ſpargitur in cœlum: multiplicatur
in terra quia diminui non poteſt: quod Dei
obſequio exhibetur, *Factaque ſunt vlcera veſica-
rum turgentium in hominibus, & iumentis.* Veſicæ
turgentes, ſupputationes ſunt, quæ in carne ex
humoribus corruptis naſcuntur, quæ maximè
torquent, donec feces diffluant patente vulnere
quod immaturum abſque dolore eſſe non po-
teſt. Quid ergo erant in Pharaone cogitationes,
quibus rebatur populum Dei ſapienter oppri-
mendum, niſi veſicæ turgentes quæ ex latente
cordis nequitia oriebantur, quæ Regi, mentis
& animi pacem ſubducebant, quandiu effectũ
non potuit adipiſci iniquus affectus. Et tunc
vlcera patuerunt, quando virus cordis per ope-
ra effuſum eſt, & aperto vulnere in populum
deſeuit, necatis aqua maſculis: quos infantia
roboris impotens reddebat. Tunc virus diffluit
quando in luto, & latere populus premeba-
tur. Et dolor incanduit, veſicarum turgentium
quando denegata palea ad numerum laterum

cogebantur conſuetum, factaq; ſunt vlcera veſicarum turgentium quando excogitata crudelitas executioni fuit demandata in iumentis. i. in paruulis qui ob rationis carentiam iumenta dici poſſunt, & in hominibus quãdo mente prędití perſecutioni patebant. Luebat ergo Pharao in corpore quod malicia abſcondita excogitarat in mente, non eſt igitur ſilentio ſpernendum, quod ſparſis in cœlum de camino cineribus, & facto puluere ſuper vniuerſam terrã facta ſunt vlcera viſicarum turgentium in hominibus, & iumentis Ægipti. Quoniam ex nece martyrum, & eorum apud Deum claritudine, quid aliud manet tyrannos, quam tormentum & miſeria? Nam Abele occiſo, tremulẽtus & pauidus Cayn quo ad vixit: permanſit. Fratrum occiſio odium

Indic. 9 ciuium Abimelech conſciuit, qui per mulierem, mortem tulit verecundam, Prophetarum neces Iezabeli præcipitium acquiſiuit. Herodes Chri-

4. Re. 9. ſtum in innocẽtibus deſiderio necans, tot morbos quot membra habuit. Anthiocus ad legis

Mat. 2. dedecora cogens, corporis decus perdidit, cuius fœtore tãdem contabuit: & occubuit: Luit Herodes in vermibus pœnam quam in nece Iacobi meruerat Nero primus inter imperatores Romanos Eccleſiæ perſecutor: ſuimet homicida factus eſt. Et vt tandem finiam. Non fuit Eccleſiæ aduerſarius (qui in Pharaone typum habuit)

Luc. 18. quẽ vltio diuina non inuaſerit. Quia vt [inquit Chriſtus] faciet dominus vindictam electorũ ſuorum. *Nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera quæ in illis erant.* In magos grauiùs

plaga deſeuiebat, quá in cæteros Ægiptios, quibus magis diuina poteſtas non erat ignota, vt pote qui Dei digitum nouerant. Quo docemur *Rom. 1.*
grauiorem manere pœnam eos qui agnitę veritati repugnant. Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſticiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſticia detinent quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Lege cominus hanc Apoſtoli ſententiam, quam & ſi pro omnibus impijs, maximè tamen pro magis Pharaonis appoſite dictam comperies. Quando quidem, quod Dei notum erat i. digitus Dei manifeſtum eſt in illis, qui ſiue liberè, ſiue coactè veritatem confeſſi ſunt. Ad hæc. Veritatem Dei in iniuſticia detinent, qui pro virili aduerſabantur Moyſi. Nec poterant de impiorū numero non eſſe: qui Deum auerſabantur, iniuſticiam committebant qui ſatagebant vt Pharao deſpectis Dei nunciis, populus Dei nequaquam liberaretur. Ideo non temere ira Dei de cœlo ſuper eos reuelata eſt. Audiant igitur qui Regū demulcent aures vt opprimāt in iudicio pauperes & vim faciāt humilium populi, & ſint viduæ præda eorum, & diripiant pupillos. Vel eos Reges auertant ne populus hæreſum incommodis preſſus liberetur: Deo ſeruiendi cauſa liberiùs. *Eſa. 10.*
Nouerint tandem quod facienti nequiſſimum *Eccl. 27*
conſilium ſuper ipſum deuoluetur, quod in maleficis completum eſt. Nec interim pœnam malè credentibus deeſſe putemus ſed maiorem patientur qui cæteros a virtute reuocantes: ad ini-

qua compellunt,qui ſemper ſtare non poterũt.
Sapie.5. Quia aliquando ſtabunt iuſti in magna conſtã-
tia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. Et illi
mendaces & doloſi videntes turbabuntur præ
2 Thi.1 anguſtia ſpiritus gementes, non ob veſicas turgentes ſed flammas perhennes ignis dantis vindictam quam ſuſtinebunt in interitu æternam, a qua liberet nos dominus. Amen.

Homilia XIX.

Ma.24. *Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum, & ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum, vt ſcias quod non ſit ſimilis mei in omni terra.* Stringit gelu fortius [vt prouerbium
Prou.18 currit) quod diutius perſeuerat. Et iniquitas quæ quandoque frigori cõparatur fortius ſtringit id eſt duriciam maiorem contrahit obſtinationis, quanto peccator in profundum malæ conſuetudinis deſcendens, impudentiùs contemnit [cui, vt diſſoluatur ſeu humilietur, maiore animaduerſionis incendio opus eſt & gra-
Rom. 2. uiore damnationis tormento, qui ſecundum duritiam ſuam, & impenitens cor theſaurizauit ſibi iram. Id ſanè Pharaoni quem diutius Deo reſiſtentem plaga grauior oppreſſit. Culpa
Gen.15. enim gradum habet, quæ repente ſummitatem non attingit. Gradum habet & pœna, quæ ad ſummum non infligitur donec culpa, menſura integra commitatur. Ob id, tempore Abrahæ Amorræos Deus non deturbauit terra promiſſionis, quod eorum iniquitates nec dum erant

completæ. Quapropter nemo miretur reprobos æternis addictos miſeriis, quas ſine grandi auxiliorum Dei contemptu experitur nemo. Nam nullus pede ſuſpenſo, morte præuenitur ſine multimoda vocatione, comminatione ſeueritatis, ſeu fœlicitatis promiſſione. Quoties Pharaonem monuit non ſolum longanimitate vt ad pœnitentiam eum patienter expectaret, verum etiam & benignitate, vt Moyſem, & Aaron mitteret non ſolum verbo doctrinæ munitos: ſed & ſignorum prodigiis claros. Quos cum contempſiſſet, plagis quidem in principio laceſſitus eſt, ſed talibus quibus tedium, horrorem, & ignominiam pateretur: non tamen morte interiret. Nam prima plaga habuit pro aqua ſanguinem. Secunda dedit ranas. Tertia cyniphes habuit. Quarta muſcas præbuit. Quinta ſola iumenta peſte afflixit. Sexta oppreſſit homines veſicis turgentibus, vt infirmarentur potiùs quàm morerentur, & caro quidem daretur in tormentum vt ſpiritus ſaluus fieret. Sed culpa matureſcente non inflixit dominus grauiorem ſeptima (ſi vltimam excipias nec tanto terrore comminatus eſt, conditione tamen præueniens, & ſolita diligentia Moyſem dirigens. *Mane conſurge, & ſta coram Pharaone*. Quaſi dicat, non remoretur obedientiam tuam illius inſania ſed mane conſurge vt illius deſidia, tua præueniatur diligẽtia. Indignus eſt quidẽ Pharao vt moneatur, ſed nõ es indignus vt præconis Dei fungaris officio. Si te audierit lucratus eris animam eius. Si verò

1. Cor. 5.

Mat. 18

te contempſeris,nō ludes operam, quia munus (quod tibi creditum eſt) explens:animam tuā liberabis. Sta itaque coram Pharaone.Sta rectitudine morum & doctrine ſinceritate. Et dices ad eum nomine meo. *Hæc dicit dominus Deus Hebræorum.* Non quidem dominus tuus, quem toties dominum negaſti. *Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi.* i. adhuc te manet,ſi volueris tuæ ſalutis ſpes, quod ſi non dimiſeris in hac vice præter conſuetudinem mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum vt plagas tu ipſe ſentias, quas maximè in alijs hactenus ſenſiſti. Sicut em̄ cor radix eſt omnium motuum ita & ſenſuum plus ſolito illi infligere vel plagas ſuper cor eius ponere,eſt illum plagis afficere vltra cogitationem cordis,& exiſtimationem. Sicut Adam exiſtimans ęſum ligni vetiti,eſſe dumtaxat venialē noxam,plagas Dei ſenſit ſuper cor ſuum, ferens ſui criminis ſententiam : ſuo iudicio maiorem, O terribilis comminatio quą docetur flammas vltrices (quæ finem non habent, omnem humanum captum exuperare. *Vt ſcias quod non ſit ſimilis mei in terra.* Tanta erit plagarum acerbitas, vt ipſa experientia fateri cogeris , me non eſſe Deum pennatem aut Deum patrium,qui præciſum,& localem dominatum habeat & temporalem ſed Deum talem, cui omnis terra (quæ Deorum falſorum numero inficitur] reipſa nec ſimilem nec maiorem habet, qui virtutem meā ludere poſſit.Inter Deos quos olim deluſa colebat gentilitas, non erat qui tempus,aut locum non haberet, vel qui alicui operi ita præficeretur,

tur : vt in ceteris non eſſet inualidus. Nam Dea cunina cuius præfectura paruulorum, non permittebatur excedere : vtiq; armorũ expers erat. Ita Deus forculus fores curabat, vt limen cardinemque ſeruandi : nullam haberet poteſtatem. Quandoquidem. Cardini Dea cardea & limini Deus limentinus præficiebantur. Sed audi quid Deo dicat Propheta. Non eſt ſimilis tui in Dijs Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Non eſt ſimilis tui inquam, qui vitæ, & mortis clauem habeat, qui percutiat, & medelam adhibeat qui vulneret, & non ſit qui eripiat. *Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte.* Manus extenſione intelligito liberam percutiendi poteſtatem cui nemo reſiſtere poteſt. Et percutiam te peſtæ, vt quem Deum miſericordiæ mea longanimitate, conniuantia, patientia, noluiſti cognouiſſe, Deum vltionis : & ſeueritatis cognoſcas. Et qui eloquia mea ſuper mel dulcia, frequenter faucibus tuis oblata: guſtaſſe renuiſti, iræ meæ ſentiens aculeos grandi probro tuo, me agnoſcas ſaltem inuitus & ſero, vt cuius oculi proſperitate excecati ſunt ſeueritate clareſcant. Epulo diues inter delicias Lazarum egentem ignorauit ad Ianuam iacentem : quem cum eſſet in tormentis a longè proſpexit. Quia ſepæ per pœnam aperitur, quod per culpam clauſum eſt. *Et populum tuum.* Cuius adulatione, & fauore tua in me impudentia huc vſque perſeuerat, vt eo tecum percuſſo nõ poſſit tibi in peſtæ auxiliari, qui in peccatis tuis tibi nouit adulari. Vide in diuina iuſticia grad,⁹ Da-

Aug. ci. Dei li. 4. cap. 8.

Pſal. 71.

Iob. 5.

Pſa. 118.

Luc. 16.

uidis cauſa, plectitur populus peſte ſed ipſemet
1. Re. 24 corpore incolumis reſeruatur cuius precibus plaga ceſſaret, quàm nonminus in ſpiritu ſuſtinuit: quam populus in corpore. Sed Pharaoni & eius populo integra fit cõminatio, quod populus Regi ſuo in culpa conſentiret, & quod Pharao non cõpateretur: ſi ſolus populus plagã Dei ſentiret. Sed nolim te lateat hanc cõminationem habere miſericordiã comitẽ. Non enim dicebat. Nũc extendo manũ meam, & percutio peſte, ſed extendam manũ & percutiam vt temporis dilatio: animum pœnitendi præberet. Nec ratione caret quod peſtem comminatur, ſiquidem petierunt Moyſes, & Aaron, vt confecto trium dierum itinere ſacrificarent Deo ne fortè peſtis aut gladius accideret eis. Quid ergo faciebat Pharao populum detinens ne Deo ſacrificaret, niſi populum Dei periculo exponere, vt peſte, aut gladio interiret aliquando? Iuſtum
Num 3. ergo erat vt hanc pœnam lueret, per quem non ſtetit vt eandem ſubiret populus Dei: cui remedia præcludebat. Ob id Balaam interijt quod eius conſilio mulierum venuſtas populum Dei reuocauit a Deo, vt maledicto factus obnoxius: à Rege Moabitarum deleretur. Dic oro. Qua plaga digni ſunt noſtri temporis hæretici, qui baptiſmum, quem Chriſtus inſtituit ne regno cœlorum deſtituantur, quandoque impediunt: ne ea paruuli tinguantur quod [vt delirant] abſoluta neceſſitate non venit ſuſcipiendum? Quis non dixerit eos paruulorum tortores, & Pharaone peiores qui corpora dumtaxat mortis pe-

riculo exponebat. Iſti verò animas ſalutis auxilio deſtituunt quibus non ſatis eſt in pueros ſeuire. Detrahunt enim Chriſti ſacrificio quod iuge eſt & ad finem vſque ſeculi durabit, crucis tormento finiri non minus impudenter, quam impiè autumant. Id in eis Satana fallaciter operante, vt eo ſuppreſſo [quod fieri non poteſt, chriſtianiſmus pereat & Chriſtus eccleſiæ regno deturbetur & populus in Ægipto,id eſt, tenebris perfidiæ detentus luto huius mundi hærens nunquam promiſſionis terram, id eſt,æternam gloriam conſequi valeat. Itaque plaga,quæ peſte longe grauior eſt, plectendi ſunt, qui humanæ ſalutis remedia auerſantur, baptiſmum maximè, & Euchariſtiam, quæ inter ſacramenta computantur præcipua. *Peribiſque de terra.* In qua non in me, vitæ ſecurioris fundamentum collocaſti populi mei damno quem ad lateres & lutum cogis : edificandi gratia theſaurorum ciuitates. Ea de re, vnde ſperas tibi auxilium : ſuſcipies ruinam. Et terra quam tibi fomentum gloriæ putabas : erit & contumeliæ. Sic contingit hijs qui non poſuerunt Deum adiutorem ſuum. Nam Cayn quem primam ciuitatem edificaſſe legim⁹, ne,verbis Dei diffidens, in poſterũ occideretur, ſic de terra perijt, vt ſuæ poſteritatis nec capillus quidẽ recuperari poſſit. Docemur hoc loco quod de terra merito perire digni habẽtur qui ſtructuris edificãdis diuini honoris probro,& aduerſus proximũ violẽter inſiſtunt,quibus per Prophetã exprobratur. Ve qui cõiũgitis domũ ad domũ & agrũ agro copulatis

Gen. 4.

Eſaye. 5.

Rebatur Pharao grauamine, & labore populi, regnum cõſeruaturum ſed tandem ignominioſæ moriens perdidit regnum & populum, qui ad regni faſtigium: ſuo malo fuerat ſublimatus, vt patet in ſequẽtibus, idcirco autem poſui te vt oſtendam in te fortitudinem meam. Qui artem
Heſt. 3. militarem callent, & poteſtate donantur ſublimi: dimicare ducunt inglorium aduerſus eum qui viribus caret nec claret nomine. Apud He-
1.*Re*.17. ſter. Aman ſecũdus a Rege pro nichilo ducebat in ſolum Mardochæum manum mittere, Goliath a cunabulis armis addictus verebatur cum Dauide congredi, quod puer eſſet baculoque niteretur. Sic Dominus qui terribilis eſt, & cui nemo reſiſtere poteſt. Iram habet ira leonis, multo nobiliorem vt pote qui nouit parcere proſtratis ſed debellare ſuperbos, & eos qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, exiguo
Sapi. 6. quidem & hijs qui ſe cinerem & puluerem non erubeſcunt: concedit miſericordiam. Sed
Rom. 2. potentes potenter affligit, potentes inquam, qui reſiſtunt veritati, adhærent autem iniquitati, ira indignatione inſpergit. Audiant ergo poteſtate ſublimes, & diademate clari, ſe in cœlo Dominum habere apud quem eſt fortitudo, qui adducit iudices in ſtuporem, & Regum
Iob. 12. Balteum diſſoluit, & præcingit fune Reges
Luc. 1. eorum & potentes de ſede deponit, & exaltat humiles. Non ergo Reges ſe Deos exiſtiment quos interdum Dominus nouit in eorum ordinem redigere, qui virorum ſunt nouiſſimi, imo miſerrimi. Quid miſeri-

ùs quam obiectum furoris Dei fieri, quemadmodum Pharao quem idcirco Deus poſuit ſeu vt ait Apoſtolus, excitauit, non tamen fecit ne culpa de creatore veniſſe putetur. i. permiſit ad regale faſtigium euehi, qui vas iræ fuit,& iãdudum aptus erat in interitum, vt oſtendat in eo fortitudinem ſuam. i. vt vincendo eum qui ſua poteſtate videbatur hominibus imperare, imo Deo rebellare, cæteros ſuperare non exiſtimetur difficile, vt non glorietur omnis caro nec expectandum eſt vt pauperi iniquo miſereatur, qui vultum potentis peccatoris non erubeſcit. Si enim peccantibus angelis non pepercit, nec 2. *Pet.* 2
originali mundo, parcet nobis peccantibus, qui luteas inhabitamus domos? *Vt oſtendam fortitudinem meam in te.* Non tui gratia, te permiſi Regem fieri cum indignus eſſes, ſed populi mei quem tua tyrannide in hoc mundo humiliare, punireque volui, te vtens tanquam flagro ſterili, *Iob.* 4.
vt corripiendis miſericordiæ filiis: virga & baculus furoris eſſes in manu mea ſuper illos, quos per tribulationem in gloriam transferre præparaui, vt inter flagella & verbera, fide, & religione populus meus permaneret incolumis, vt ſic fortitudo mea id eſt conſtantia demonſtretur. Oſtenſa quidem eſt Dei fortitudo in Iſraelitis dũ affligerentur & afflicti multiplicarentur. Oſtendit etiam fortitudinem ſuam in Pharaone [ſicut quibuſdam placet] cum illum regnare permiſit vt ſuam oſtenderet benignitatem quæ interdum poteſt ſua fortitudo appoſitè dici. Nam ſolemus illum fortem appellare: qui aduerſarium patiẽ-

ter tollerat. Quemadmodũ Deus patienter tulit Pharaonis ſuperbiã & contumaciã, nõ Pharaonis gratia ſimpliciter, ſed vt nomẽ Dei narretur in omni terra nomẽ Dei inquã.i.eius patiẽtia & bonitas,& miſericordia, quibus ſine cũctatione

*Sapi.*12. vlla Deus ad clemẽtiã quã ad indignationẽ pronior eſt,qui tanta patiẽtia vas irę ſuſtinuit. Quo meditandũ relinquitur,quantum iuſtis ſuauis ſit

Heb. 2. ſpiritus eius, qui iniquis & improbis,ita ſe comẽ,& blandũ prębet. Ob id Chriſt⁹ venit,vt nobis (quos fratres vocare nõ erubeſcit)nomẽ Dei patris narraret.i.miſericordiã,qui veneràt vt Sa-

Ioan. 12 tanas Princeps huius mũdi (cuius typus Pharao fuit] eiiceretur foras,& genus humanũ quod tãdiu ſimulachrorũ cultu deluſum tenuit, ydolatriæ vinculis ſolueretur,& excuſſo Ægipti. i. tenebrarũ erroris & maliciæ iugo: vero ſacrificio,

*Pſal.*18. quo & ipſe Chriſt⁹ pſonaliter offertur,nõ ſegniter incũberet. Tũc ergo cœpit in vniuerſa terra

Rom. 1. nomẽ Dei narrari,quãdo deuicto Satana, ſonus apoſtolicę prędicatiõis exiuit in oẽm terrã & fides annũciata eſt in vniuerſo mundo. Nec putem⁹ aduerſus Satanã legitimè decertaſſe aut illũ viciſſe,ſi victoria laude,& encomio noĩs Dei nõ fuerit illuſtrata,quod bonis ſãctũ: reprobꝭ verò terribile eſt. Bonũ inquã Iſraelitis qui in afflictionib⁹ poſiti clamauerũt ad dñm nomẽ ei⁹ inuo-

Mala.1. cãtes. Et clamor venit ad eũ: qui ſpẽ eorũ nõ luſit. Terribile vero Pharaoni qui dixit ſe dñm neſcire. O vtinã ſic hęreſes expungerẽtur vt vbique oblatio mũda nomini Dei in vniuerſa terra fieret, cuius bonã partẽ ne dicã maiorẽ, nũc turciſmus & diuerſarum hæreſum virus occupat. *Adhuc*

detines populũ meũ, & non vis dimittere eũ. Hęc verba miſerãtis potius quã indignantis Dei ſunt,& quaſi dicẽtis. Adhuc diuitias bonitatis,& patiẽtiæ,& lõganimitatis cõtẽnis? Adhuc ſecũdũ duriciã tuã & impenitẽs cor: theſaurizas tibi iram? Adhuc foliũ quod vẽto rapitur, renitit' poteſtati meę? Adhuc figul' reſiſtit factori ſuo? Adhuc tãtis laceſſit' plagis:grauiores nõ metuis? Popul' quẽ retines me' eſt nõ tuus. Eſto ergo iure Regio cõtẽtus,& quæ Dei ſunt redde Deo, Regnũ quidẽ habes ſed limitib' cõcluſũ. Regnas,ſed per me vt iuſta decernas. Ergo quod iuſtũ eſt iuſte ꝓſeq̃re. Tolle quod tuũ eſt,quod verò meũ eſt redde. Valeat popul' tu' cũ luto, & latere, nolo hiis ppl̃m meũ ĩplicari,quẽ ſacrificiũ michi ſoli debitũ delectat. Adhuc ergo detines ppl̃m meũ? Putas regiã poteſtatẽ[quæ tibi data eſt in ędificationẽ & nõ in deſtructionẽ]tibi oĩa cõcedere, vt ad nutũ tuũ oĩa fiãt,vt volũtas tua ꝓ lege habeatur? *Adhuc detines populũ meũ*? i. Nũc tẽp' eſt vt rebellione temperes, priuſquã ardentius feruescat ira mea *Et nõ vis dimittere eũ*? Nõ ſimpliciter cauſatur dñs quod Pharao nõ dimittat ſed q̃a nõ vult dimittere. Siquidẽ poteſtas retinẽdi ex Deo erat retinẽdi tãmẽ volũtas: ex Pharaone. Cũ ergo D. dñs. Et nõ vis dimittere, voluntatẽ accuſat: quia dimittere poterat. Si eñ volũtatẽ retinẽdi habere nõ potuiſſet: nulli' culpæ veniret inſimulãd'. Sola quidẽ volũtas, ſine qua opera externa ĩdifferentia ſunt: coronã meretur aut pœnã. Erubeſcant igitur q̃ volũtati humanæ adimũt libertatẽ ſine qua nõ video delectũ:inter hoĩem & brutũ.

Rom. 2.

Mat. 22

2. Co. 10

En pluam cras hac ipſa hora grandinem multam nimis. Cum cras dicit, dilationem puniendi ſignificat, & ſpatium pœnitendi. quo doceat ſe quaſi inuitum, & coactum punire. *Qualis non fuit in Aegipto a die qua fundata eſt vſque in præſens tempus.* Grauitas culpe, acerbitate pœne debet compenſari. Ob id prædicitur in Ægipto plaga ſolito acerbior, quæ Regem nullum habuerat, qui ob-
Gen. 19 ſtinatius diuinam bonitatem exacerbaſſet. Aliũ enim Pharaonem plagis maximis flagellauerat dominus, quod tuliſſet Sarram vxorẽ Abraham ſed ignoranter. Siquidem vxorem non rebatur eius ſed ſororem, quam marito reſtituit: veritate comperta. Iniuſta fuit Ioſeph innocentis incar-
Gen. 12. ceratio, ſed diſcuſſa eius cauſa, hoc ſolatio erectus eſt Regis imperio, vt ad principatum eueharetur ſecundus poſt Regem in tota Ægipto: cuius prouidentia famis iniuriam per ſeptenniũ propulſauit. Sed nullum Regem habuit Ægiptus, qui grauius iſto Deum offenderet & proximum crudelius læderet. Ob id inſolita plaga afflicta eſt. *Mitte ergo iam nunc, & congrega iumẽta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines enim & iumenta, & vniuerſa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderit que ſuper ea grando: morientur* Et ſi diuinæ comminationes fiant, vt peccatoribus terroribus ſint, ſolatia tamen habent, quando ſic comminatur dominus vt ne contingat, quod comminatur: conſulendo miſericorditer præuenit. O bone Deus, comminaris lætalem pluuiam nichilominus ne quiſpiam compluatur ſuades remedia, comminaris mor-

tem, & tamen vitam æternam doces, comminaris ſummam miſeriam & interim nullum non moues lapidem: vt nos excipiat paradiſus, & qui prouides iumentis hanc ſpem nobis relinquis: vt tuæ memoriæ non excidamus. Eo argumenti genere Chriſtus ad patris cœleſtis amorem pellicebat, dicens. Reſpicite volatilia cœli quoniam non ſerunt, neque metunt neque congregant in horrea. Et pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? Si tamen intellectum ſubtiliorem deſideres. Iumentorum nomine intelligas velim non ſemper bruta, ſed homines qui tanta ſimplicitate ambulant vt dicant domino cum propheta, vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Vult ergo Deus declinandæ iræ cauſa, nonminus iumenta quam homines congregari de agro, qui non vult ſcandalizari vnum ex hiis puſillis: qui in eum credunt, nec contemni. Interim vide emphaſim verbi Dei. Mitte ergo. i. cum ergo ira mea immineat, non ſolum tibi, verum & Regno tuo, non prouideas tibi ſoli velim ſed Regno tuo etiam ad iumenta vſque, vt tua ope, & ſollicitudine habeatur remedium, ob cuius contumaciam imminet periculum. Nam propter populum ad Regnum euectus es. Cōſidera Regem Niniue ſine expreſſo Dei verbo hoc mandatum impleſſe, qui Ione oraculo credens & timens in breui deſtructum iri ciuitatē, hominibus & iumentis ſimile indidit ieiunium & ſic mortis iudicium declinauit. Homines ergo & iumenta congregari de agro in domum,

Mat. 6.

Pſa. 72.

Mat. 18.

Ione. 3.

eſt republicam ita curare vt ſine delectu omnes ad hunc ordinem redigantur quatenus relicto campo proprij arbitrij, domo Eccleſiæ concludantur : obedientiæ & fidei virtute, ne quiſpiã ſui inſtituti mœtas prætergrediatur, etiam ſi purpura, & diadematæ fulgeat. Nec ſatis eſt vt iumenta congregentur. i. ſimpliciores, veluti ſimpliciores ſacerdotes, & pauperes monachi reformentur ſed homines id eſt cæteris potentiores, vt pote Reges, põtifices, Cardinales, nobileſque qui ſibi videntur ad hoc nati, vt pro-
Ihier. 5. priæ voluntati faciant ſatis. Nam hij primum adorauerunt Chriſtum qui Regia ac ſacerdotali dignitate præſtabant. Nec video cur toties ira Dei compluimur, niſi quod Regum & paſtorũ deſidia homines & iumenta non congregantur de agro in domum. Et tantum abeſt vt in domum Eccleſiæ & vnitatem per obedientiam
1. *Thi.* 5 congregantur, qui viam domini ignorauerunt, ſed magis ipſi confregerunt iugum reformationis, & ruperunt vincula concordiæ.
Qui timuit verbum domini de ſeruis Pharaonis fecit
Gen. 35. *congregari ſeruos ſuos & iumenta in domos.* Nouerint ſe omnes qui dominatum habent in terris nedum filijs ſuis debitores, quibus debent theſaurizare, verum & ſeruis quorum qui curã nõ habet fidem negauit, & eſt infideli deterior. Sic Iacob ſalutem filiorũ curauit, vt interim ſeruorum ſalutẽ non negligeret quibus iuſſit abiicere Deos alienos, vt ad altare quod in Bethel conſtruxerat adduceret. Nec video cur hodie hij qui dominantur, ſaltem eorum bona pars, tã rudi ſa-

milia ſtipantur quæ ita fidem & religionem negligat, & qua familia ſibi ſeruiri curant nō Deo, niſi quia timore Dei deſtitúuntur. Et hanc curā prę cæteris Epiſcopi habeāt neceſſum eſt, maximè vbi proximæ afflictionis habentur indicia vt tyrannidis vel hæreſis, vt vnitate fidei adunati & intra Eccleſiam collecti ſecum Chriſtum ſuæ ſalutis protectorem habere mereantur. Amen.

Homilia XX.

EXtenditque Moyſes virgam in cælum, & dominus dedit tonitrua & grandinem ac diſcurrentia fulgura ſuper terram. Non eſt Deo peccatum graue quod reſipiſcentia dilui non poſſit, quæ vt ſit ſalutaris non modicum iuuant patrum decreta, & eorum præceptiones qui pro ſaluandis hominibus præfecturam ſuſceperunt, quibus obſiſtere nichil eſt ſceleſtius. Nam ea de re antitiſtes ab improbis ſpernuntur, ne Deus regnet ſuper eos ita vt talium arrogantia culpam Sodomitarum ſuperet, & ętnichorum atque publicanorū habeat impietatē. *1.Reg. 8*
Verum, quemadmodum corporis infirmitas, ſanitatis remedium habet: ſi non obſit ægroti contemptus. Nec peccatum remiſſione carebit, niſi contemnat qui in profundum peccatorum deſcendit nec percuſſus aut attritus dolet ſed renuit accipere diſciplinam, cui peccati deſperatus morbus mortem afferat neceſſum eſt: quæ perpetuo ſeparat a Deo. Dauid de adulterio, & homicidio conualuit in anima

Prou. 18

Ihiere. 5

pro qua miſericordiam Dei implorauit qui pro-
2.Re.12 piciatus eſt iniquitatibus ſuis & ſanauit infir-
mitates ſuas, quod Natam arguentem ſe non
contempſit, nec animã ſuam, cum infirmaretur
deſpexit. Simile ſalutis obtinuiſſe potuit Pha-
Pſa.101 rao, ſi Moyſem non contempſiſſet, ſenſiſſetque
plagas domini, ſenſiſſet inquam cauſa diſciplinã
accipiendi, ſed reuerti noluit, & indurauit faciẽ
ſuam. i. conſcientiam ſupra petram. Super quo
igitur potuiſſet illi Deus eſſe propitius, qui
indignus erat medico vt ſanaretur, Propheta
vt corriperetur, Doctore vt moneretur? Et qui
virgæ. i. auctoritati Moyſi erubuit deferre: gra-
uiori virgæ factus eſt obnoxius, vt nolens lega-
to Dei parere: incideret in manus Dei viuentis.
Ob id iuſſit dominus Moyſi vt extenderet ma-
num ſuam in cœlum. *Et extendit Moyſes virgam
in cœlum, & dominus dedit tonitrua ac grandinem.*
Sed quid eſt quod cum iuſſu Dei Moyſes virgã
extenderet in cœlum, dominus dedit tonitrua,
& grandinẽ, niſi indignatione Dei digniſſimus
eſt, qui ob cordis duriciam directoribus caret.
Nam virgam in cœlum extendere, eſt ſuam fun-
ctionem exuere, & eos diuino iudicio accuſare
pro quibus patrocinari debuerat ſi ſe patroci-
nio indignos non exhibuiſſent. Nam poſtea cũ
diceret dominus Moyſi. Dimitte me vt iraſca-
tur furor meus contra eos & deleam eos, quid
aliud erat quam iubere vt extenderet virgam in
cœlum. i. vt impunitos relinquens, ſolum Deũ
haberent iudicem & vltorem. Sed propitiatio-
ne obtenta a Deo, virgam ſuam non extendit

in cœlum contra populum. i. non ceſſit officio, ſed iudicem agens: tria hominum milia interfecit vt iram Dei euaderent: qui non punit bis in idipſum. At aduerſus Core Datam & Abiron (quos punire non poterat) virgam in cœlum *Exo.32.*
extendit.i. Deo puniendos reliquit,& ſtatim de *Nũ.16.*
cœlo furorẽ domini ſenſerunt. Cæterum, cum *1.Re.16*
Samuel prohiberetur lugere Saulem, & Ieremias pro populo orare. Nonne vt contra eos virgam in cœlum extenderent iubebantur? Cõtra malos itaque virgã in cœlum extendere, eſt eis præfectos ſubducere,qui careant virga directionis, vt ſuæ obſtinationis pœnam luentes, *Iher.11.*
tanquam oues relinquantur ſine paſtore erran- *3.Re.11.*
tes,& palabundæ. Quemadmodum Iſrael tem- *Iudi.11.*
pore Regis Achab ſicut Micheas Propheta loquebatur. Et ſimiliter poſt Sanſonis mortem. Non erat Rex in Iſrael ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur: hoc faciebat. Non quod deeſſet qui Principis locum haberet. * Sed cũ *
tanta eſſent peccata populi, recte & opportune *Rupert.*
comminiſcit ſcriptura & dicit quia in diebus il- *in 20.*
lis non erat Rex in Iſrael. Sicut qui non obedit *Iudicũ.*
Deo Deum non habere dicitur. Sic prælatis dicitur deſtitui qui illos auerſatur. Et quid populo contingere poteſt infœlicius? Vide quid ſequatur extenſa virga in cœlum. *Dominus dedit tonitrua & grandinem ac fulgura diſcurrentia ſuper terram.* Terret igitur dominus per tonitrua. Siquidem ſcriptum eſt dominus tonabit, & quis non pauebit? Quia plerumque (vt experientia docet) Tonitrua mors ſubitanea ſequitur, a

qua liberemur non temere præcatur Eccleſia. Nec exiſtimo mentis compotes: qui tonitrua non reformidant. Deditque grandinem vt percuteret, nec temere. Siquidem, grando aquę naturam habet ſi diſſoluatur. Aquæ autem nomi-
Ioan. 4. ne beneficia cenſentur. Qui enim biberit ex hac aqua quam ego dedero ei non ſitiet in ęternum. Grandine ergo percutere peccatorem, eſt illum affligere mediis: quibus poterat iuuari. Nam auxilium Dei, inſpirationes, diuitiæ, ſcientia, fi-
Mat. 24 des, quibus ſalutem conſequi poſſumus plerũque ſunt nobis detrimento, quæ nobis debent eſſe auxilio, quod ea conſtringimus noſtra ini-
Hebr. 6 quitate, quæ in euangelio frigori aſſimulatur. Nam aqua a Deo habet vt fluat ſuper iuſtos & iniuſtos vt arua irrigare poſſit, & terram bibẽs ſuper ſe imbrem germinet herbam opportunam illis a quibus colitur benedictionem accipiens a domino. Si vero aëre frigido conſtringitur non poteſt fructibus non nocere ſi quos offenderit cadens, & quandoque hominibus, & iumentis, ſi ſolito contingat craſſiorem con-
Prou. 25 ſtringi. Itaque Dei longanimitas, patientia eius, regni adeptio, ſignorum oſtenſio, plagarum ceſſatio, diuinæ voluntatis declaratio, vnius Dei noticia promulgata per Moyſem,
Pſal. 1 quid erat Regi Ægipti niſi aqua? Scriptum eſt enim. Aqua frigida bonus nuncius de longinquo, ſecus quam aquam beneficiorum Dei plantatus, potuit Pharao hunc fructum pœnitentiæ dediſſe in tempore ſuo. Sed hanc aquam

gelu conſtrinxit, dum tantis ac talibus auxilijs præmonitus, ingrauauit cor ſuum & quo maiori indignationi factus eſt obnoxius. Nec vlla plaga afflictus eſt quæ propriæ culpæ ſimilitudine caruerit. Nam exprobrandi gratia, diſcurrebant fulgura quandoquidem Satanas fulguris ſimilitudinem habet. Videbat enim Chriſtus Satanam: ſicut fulgur de cœlo cadentem. Fulgur admodicum patet, & fulget & nichil eo clarius *Luc.* 10. eſt, cum vero ceciderit feret ſupra modum. Ob id nomine cuiuſdem Regis exprobratur Satanę, quomodo cecidiſti lucifer qui mane oriebaris? Quid autem clarius Rege, maximè ſi iuſticiam fecerit, ſine qua nullum eſt regnum. Si vero iuſticiam tyrannide commutauerit iam de faſtigio Regni, vitiis fœtidus & obſcurus cecidit. Rogemus dominum vt cum iu- *Eſa.* 14. ſtis velut ſol fulgeamus, non vt fulgur quod claritate momentanea nitet. Phariſæi vt fulgur claruerunt qui ad lucem Ioannis exultare vo- *Sapiē.* 3. luerunt. Ad horam ergo tantummodo dantur Pharaoni fulgura in plagam, qui toties claruit in momento, dum plagis territus: ad preces *Ioan.* 5. Moyſi prouocauit, & populi pollicitus eſt liberationem. Sed cecidit fœtidus, quando ceſſante plaga: promiſſis fidem non ſeruauit. *Et grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Tanquam æternorum tormentorum ſpecimina, quæ reprobis debentur qui in inferno tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. Nam grando frigida: ignis vero calidus eſt. Quid autem ſit tranſire ab aquis niuium ad ca-

lorem nimium, diuitis epulonis hyſtoria luculenter demonſtrabit. Repulſam enim paſſus ab Abraham audiuit ab eo fili recordare quia rece-
Iob. 24 piſti bona in vita tua. Tranſibunt itaque reprobi ab aquis niuium ad calorem nimium cũ recordati bonorum quibus opipare fruiti ſunt,
Luc. 16. maiorem inde cruciationẽ ſuſcipient. Ab aquis ad ignem tranſibunt dum aquam refrigerij deſiderantes qua linguas refrigerent, eo deſiderio quod conſequi non poterunt grauius in igne torquentur. Et merito contrarijs & repugnantibus, & confuſis torquentur, quod honeſte &
1. Co. 14 ſecundum ordinem in domo Dei non ambulauerunt cum conſenſu. Contra quidem naturæ iura, aqua & ignis coeunt pariter in tormentum malorum quod contra naturæ iura Deum offenderunt. Nam infernus terra miſeriæ, & tenebrarum eſt, vbi vmbra mortis viget & nullus
Pſa. 54. ordo. In plagam ergo, ignis & grando contra naturam mixta ferebantur. Quid enim magis contra naturam quam innocentes occidere, populum affligere, ſacrificio ſoli Deo debito detrahere, & agnitæ veritati repugnare, Deumque negare? Sed ſi de litera requiretur myſterium.
Iob. 10. Apte quidem in cœlũ extenſa Moyſi virga quæ ſerpens facta fuerat in Pharaonis ignominiam data ſunt tonitrua, grando, ignis, & fulgura, quando Chriſtus quem Moyſes typo præceſſit, ſic crucem corpore ſuo per paſſionem, & obedientiam inſigniuit, vt quæ tanquam ſerpens hominibus eſſet opprobrio fieret mundo amabilis, & vt canit Eccleſia, cunctis aſtris ſplendidior,

dior, cuius memoriam non erubeſcunt celicolæ qui Chriſtum alloquentes in hæc verba prorumpũt, Dignus es domine accipere diuinitatẽ, & benedictionem quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo. *Apoc.* 5 Vides virgam Dei, id eſt, crucem ad cœlum vſque extendi, virga ergo crucis extenſa eſt in cœlum quando * clauis paradiſi facta eſt: & aperuit paradiſum. Tunc dedit dominus tonitrua, & fulgura diſcurrẽtia grandinem, & ignem, cum verbum prædicationis euangelicæ, vbique terrarum inſonuit: quod terrore non caret. * Quid per tonitruum niſi prædicatio ſuperni terroris accipitur? Vis audire Christum tonantem? Audi illum dicentem. Niſi quis natus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto: non poteſt introire in regnum Dei. Et iterum Qui verò non crediderit condemnabitur. Et rurſus. Niſi abundauerit iuſticia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorũ non intrabitis in regnum cœlorum. Et quod omnibus terribilius eſt. Ite maledicti in ignem æternum. Audito Apoſtolus Chriſti tonitruo. Quid me perſequeris ſtatim expauit & tremens dixit domine quid me vis facere? O fœlix pauor, qui talem virum acquiſiuit eccleſiæ & vtinam ad Chriſti verba expaueſcamus, vt beatis ſociemur. Audi Chriſtum per beatum Petrum ita tonantem vt Petro loquente Anania & eius vxor propter fraudem expirauerunt. Eo territi tonitruo, eos quos poſſidebant demonia: liberos dimiſerunt. Nec temere tonitruo euangelica prædicatio aſſimilatur, Siquidem. Tonitruum

** Chriſoſt. home de. diu. epil.*

** Gregori⁹ l. moral. in Iob. 29 ca. 16*

Ioan. 3. Marci vltio. Luc. 13. Mat. 6. Mat 25. Act. 9. Act. 5.

conflictus eſt nubium pugnantium & diſſimilium, quo calida frigidæ & frigida calidæ aduerſatur. Et quid eſt euangelica prædicatio niſi conflictus veritatis contra mendacium, fidei contra errores, & virtutum contra vitia? Vt non ſolum muneris Epiſcopi ſit docere, quin
Titū. 1. potiùs debet & eos qui contradicunt arguere. Ob id Chriſtus Iacobum & Ioannem fratrem eius Apoſtolos inſtituens vocauit filios toni-
Mar. 3. trui. * Vt præcipuos prædicatores & maximè thæologos. At ſicut raró contingit tonitruum fi-
* eri quod periculo careat maximè ſi pluuia non
Theoph. in Marc. ſequatur ſic nec cuipiam feliciter ſuccedit quem prædicatio ſeu cõminatio animaduerſionis terret: qui imbrem compunctionis non ſuſcepit. Fulgura diſcurrerunt ſuper terram, quę exierunt ex nubibus quando poſt prædicationem, miracula in veritatis cõfirmationem patuerunt. Fulgura enim tonitrui ſigna ſunt & teſtimonia, quemadmodum prodigia promulgati euangelij, grando & ignis permixta feruntur: dum ex euangelij præconio indiſcriminatim mors, & vita, virtus, & vicium bonum & malum pœna & gloria proponuntur. Nec ad alterum quiſquam cogitur. Vnicuique liberæ voluntatis arbitrio manente. Nam Appoſuit tibi dominus i-
Eccl. 15. gnem, & aquam, ad quod volueris: porrige manum tuam ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi. *Et percuſſit grando in omni terra Aegipti cuncta quæ fuerunt in agris ab homine vſque ad iumentū.* Nulli parcit indignatio Dei, quem obedientiæ domo in-

cluſum non reperierit nec cũ cæteris congregatum. Nec quiſpiã initatur propriæ prudẽtiæ aut ignorantiã obtendat qm̃ homines & iumenta.i. docti, & indocti (tametſi impari ſorte)pœnã luent rebelliũ, ſi non fuerint aſtipulati numero fideliũ. *Prou. 3.* Nec minus percuſſit ignis quã grando, nõ minus parit tormẽtum abiectio charitatis quam electio iniquitatis, aut priuatio gloriæ q̃ acquiſitio miſeriæ. *Apoc. 2* Tunc ideo igne percutimur, quãdo ob relictã primã charitatẽ[quę igne figuratur, reprehẽdimur. Grãdo vero nos afficit, quãdo ipſa charitate deſtituti, obdureſcimus malicia aut deſerta fide in omne opus prauũ prorũpimus. *Ioan. 11.* Ideo venit Chriſtus vt diſperſos filios Dei cõgregaret *Mat. 11.* in vnũ, & relictis agris carnalis libertatis, iugum *Heb. 10.* eius portemus, quod ſuaue eſt, & conſideremus inuicẽ in ꝓuocationẽ charitatis, & bonorũ operũ nõ deſerentes collectionẽ noſtrã ſicut cõſuetudinis eſt quibuſdã. Quia ſicut in agris Ægipti nulla fuit tunc tuitio, ſic nec extra eccleſiã, quæ domus noſtra eſt, nulla ſalus venit expectanda. *Cũctamq; herbã agri percuſſit grãdo.* Iam diximus euãgelicã prædicationẽ, miracula, Deiq; cõminationes, tonitruo, fulgoribus, igne atque grãdine cẽleri, quibus, Pharaonis.i. Satanę magno ꝓbro, *Sapiẽ. 2.* herba agri percutitur & lignũ frãgitur, quãdo eo deuicto oĩs humana carnalis venuſtas deiicitᷣ & ſublimitas ſuperba humiliatur. Nã gloria Satanę erat in herbis agri, & pratorum gloria i. in carnis voluptate, vt non eſſet pratũ per quod impij roſis coronati: non trãſeat luxuria, perirẽtq; quã plurimi propter ſpeciẽ mulierũ quarũ illecebris

ſapientes illecti:ad apoſtaſiam deficeiẽt. Ligno-
Eccle.9. rum vero confractio ſuperborũ eſt humiliatio,
qui ſuo iudicio cædris libani excellẽtes ſunt.
Sed vox dñi confregit cædros libani .i. impios,
Pſal.28. quibus impius maximè ſtipabatᷣ, & armabatur:
ad eccleſiæ ignominiã Hæc erant arma Satanæ
quæ Chriſtus abſtulit quãdo omnẽ hærbã per-
cuſſit, & omne lignum regionis illius.i. quando
clamore verbi oĩs caro, quæ fœnum eſt, & eius
Eſa.40 pulchritudo tanquã flos agri excidit.Quomodo
excidit?Quomodo agri herba percuſſa eſt? Audi
Mat. 5. Chriſtũ dicentem. Qui viderit mulierẽ ad con-
Mat.18 cupiſcendum,iam mechatus eſt in corde ſuo, &
Mat.10 iterũ Melius eſt ad vitã ingredi debilẽ vel clau-
dum quã duas manus vel duos pedes habentem
mitti in ignem æternũ, & rurſus. Nolite timere
1.Cor.5. eos qui occidũt corpus aĩam autem non poſſunt
occidere. Quid faciebat Paulus tradẽs corintiũ
fornicariũ poteſtati Satanæ cruciãdũ, niſi herbã
1.Cor.9. percutere? Siquidẽ illũ tantũ tradidit Satanæ in
interitũ carnis:vt ſpiritus ſaluus fieret. Idq; faci-
ebat cũ corpus ſuũ caſtigaret ne cũ alios doceret
tandẽ reprobus efficeretur.Hoc exẽplo nos eru-
Ion. 12. diẽs ne perficeremꝰ carnis curã in deſiderijs.Itaq;
herba agri noſtri percutitur verbo Dei, dũ aĩam
noſtrã hic odio proſequimur, vt in vitã æternã
eã cuſtodiamus, corporũ quæ tortores minime
pertimeſcamus, ſed Deũ qui vtrumque mittere
poteſt in gehennã.Verũ,ſi libere rationẽ diſqui-
ramus. Merito herba agri Ægiptiorũ grandine
percutitur,qui paleas ſubtraxerãt pp̃lo vt inſoli-
to & grauiore affligeretᷣ labore: in cõficiẽdis la-

teribus. Qui enim parū denegat pauperi, multū ei denegetur. equū eſt quemadmodū gutta aquę in refrigerium diues epulo habere non potuit, qui ſubleuandæ famis gratia: micas lazaro recuſauit. Et interdum contingit diuitum meſſem ieiunam eſſe: quod pauperes in neceſſarijs neglexerunt. *Et omne lignum regionis confregit.* Chriſtus lignum Ægipti. i. ſuperbiam eorum qui in errorum tenebris erant, ſua humilitate confregit. Reges & eorum faſtum fidei iugo ſubiecit. Et eos quorum ſuperbia aſcendit ſemper humiliauit. Hic eſt de quo Ezechielis vaticiniū prædixit. Qui humiliauit lignum ſublimè. i. ſuperborum arrogantiam, & id quidem in typo præceſſit, quando Nabuchodonoſor ingenti arbori aſſimilatus tanquā arbor ſecuri diuinæ vltionis corruit, menſam cōmunem cum feris ſeptennij ſpatio ſumens. Et iuſte quidem ſuperbi ligno confracto comparantur, quod ædificio conſtruendo minimè aptum eſt, de quo nec vllum inſtrumentum poteſt fieri, ſed igni nutriendo dūtaxat vtile eſt. Aptè igitur omne lignum Ægipti confractum eſt, vt eo typo Pharao monſtraretur ad omne opus bonum inutile ſed igni æterno, quo dignus erat, reſeruandus. *Vbi erant filij Iſrael grando non cecidit.* Non poterant enim filij perire de via iuſta qui Dei apprehenderūt diſciplinam. Et quorum in proximo erat liberatio. Docemur hic nō pertimeſcere cum ſuper ſuperbos venerit interitus & calamitas, quia tunc nos iubet Chriſtus leuare capita noſtra: quia appropinquat redemptio noſtra. *Peccaui etiam nunc, Dominus iu-*

Luc. 16. *Ezec. 17* *Dan. 4.* *Pſal. 2.* *Luc. 21.*

ſtus, & ego & populus meus impij. Verbũ Dei ortum habuit in Pharaone ſed natũ aruit quia non
Luc. 8. habuit humorẽ charitatis, quia cecidit ſupra Petram. Confeſſus quidẽ eſt peccatum ſuum, pro peccati tamen remiſſione orari non curauit, ſed vt ceſſarẽt tonitrua, & grandines. Timebat ergo
Eccl. 21. pœnã, non peccatum, a quo tamẽ tanquã a faciæ colubri fugiendum erat. Nõ enim perfectorum eſt iuſticiã Dei tantũ agnoſcere: detegereq; pec-
Mat. 27 catum. Nam Iudas Chriſti ſanguinẽ corã emulis iuſtũ proclamauit, nec proditionis culpã ſubticuit, finis tamen eius diffidentia cõdemmnatur.
Exod. 1. Timor quidẽ initium ſapientiæ eſt: non ſalutis cõplemẽtum. Obſtetrices quę timuiſſe Deũ perhibẽtur, innocẽtum nece tẽperantis: tẽporalem ſuſceperunt mercedẽ. Pharao timẽs tonitrua & grandinẽ, a Moyſe & Aarone impetrat orationis auxiliũ, quod ad tẽpus dumtaxat obtinuit, qui ad tẽpus poteſtatẽ Dei nouerat reuereri Nam quẽadmodũ iuſticiæ diuinæ eſt, vt qui peccato nun-
Mat. 10 quam tẽperare decreuerunt, miſeria æterna torqueãtur. Ita mercede tẽporali gaudeat qui quandoque virtuti operam dedit, etiam ſi calicem aquæ frigidę pauperi in nomine Chriſti dederit. Nõ enim Deus iniuſtus, vt obliuiſcatur o-
Hebr. 6 peris boni. Interim Diſcam⁹ hic Reges ſacerdotum miniſterio indigere. Nec mirũ ſi Moyſes ſe pro Pharaone pollicetur oraturũ, quẽ ex diuino oraculo nouerat in duricia permanſurũ, vt doceantur Paſtores pro eis preces fundere: quorũ vita maximẽ deploranda eſt. Nam Apoſtoli pro ſui tẽporis Regibus deprecabantur, quos adhuc

cernebāt: fidē Chriſti auerſari. Hoc autē faciētes Chriſto parebant dicenti. Diligite inimicos ve- 1. *Ti.* 2.
ſtros. *Cū egreſſus fuero de vrbe, extendā palmas ad dominum.* Typū hic Chriſti geſſit Moyſes, qui vt diuinam irā placaret extēdit extra vrbē palmas ad *Mat.* 5.
dñm .i. vt ſanctificaret populū ſuum extra portā paſſus eſt crucis ignominiam & mortē non ſine palmarū extenſione. *Noui autē quod tu & ſerui tui nec dum timeatis dñm.* Perinde ac dicat, Pœnā quidem times, non dñm, quem ſi timeres, in deſiderio peccata delenda habuiſſes, priuſquā ceſſarent tonitrua. Nam interdū tonitrua nonnichil emo- *Heb.* 13
lumenti afferunt. Peccatū vero non ſolum inutile eſt, verum non poteſt non nocere. Diues epulo nunquā exaudietur, qui de peccati remiſſione tacet: ſed ſolum cruciatū cauſatur. *Quia ſerotina erant.* Hic docemur quod periculo non carent qui immaturo tēpore cōcupiſcunt exaltari. Hæreditas enim adquam feſtinatur in principio benedictione carebit, Abſalon paternę vitæ im- *Luc.* 16.
patiens: regnum aucupatus eſt, ſed immatura & ignominioſæ mortæ interijt. *Serotina non ſunt laſa.* Quia qui humiles ſunt diuinam coſeruatio- *Prou.* 20
nem tanquam ſuæ patientiæ fructum recipient. 1. *Re.* 18.
Ceſſauerunt tonitrua. Moyſe extendente palmas: ceſſauerunt tonitrua. Et hoc quidem maximè completū eſt quando Chriſtus in diebus carnis *Hebr.* 5.
ſuæ, id eſt, paſſionis, preces, ſupplicationeſque ad eū qui poſſit illum ſaluū facere a morte cum clamore valido, & lachrimis offerēs exaudit⁹ eſt pro ſua reuerētia. Vis diſcere quomodo Chriſto

orante ceſſauerunt tonitrua? Audi orantem, & dicentem. Pater dimitte illis quia neſciunt quid
Mat. 27 faciunt pro inimicis orans qui tonitruum ſeditionis excitauerant dicẽtes, & clamantes. Tolle, tolle, crucifige eum. Sed Chriſto palmas extrà vrbem extendente, & orante ceſſauerunt tonitrua, quando ſucceſſit lachimarum pluuia, & gaudium inimicorum in luctum verſum eſt. Multi enim qui venerant, reuertebantur percutientes pectora ſua. Rogemus dominum vt ceſ-
Luc. 22. ſent ſeditionum tonitrua, & commixtionem ignis & grandinis. i. congreſſionem hæreſum aduerſus veritatem cohibeat, vt ſacrificiũ Chriſti pacifice frequentare valeamus. Amen.

Homilia XXI.

INgredere ad Pharaonem. Ego enim indurari cor eius, & ſeruorum illius, vt faciam ſigna mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum quoties contriuerim Ægiptios, & ſigna mea fecerim in eis. Poſſet forſam quiſpiã mirari cur dominus Moyſi iuſſerit ad Pharaonẽ ingredi vt faciat ſigna ſua, quandoquidem videtur rationem adducere, quæ tali præcepto minimè conueniat cum dicat. Ego enim induraui cor eius, cum vanum videatur & inutile eius aures verbis obtundere, cuius cor adeo obtuſum eſt, vt effuſum ſermonem intelligere non poſſit, quinpotius (vt prouerbium currit, erit quaſi aſinus ad liram. At vero ſi rem adamuſſim diſpiceamus, Moyſes ad Pharaonem maximè debuit mitti, quod iã eius cor Deus induraſſet, ſi

quomodo Deus indurat: conſideremus. Itaque cum Deum indurare audis, nullam in eo actionem excogites velim, quaſi ad cordis duriciam impellat: aut illam efficiat. Abſit. Deus enim intentator malorum eſt. Sic ergo indurare venit intelligendum vt non agere putes: ſed gratiam ſubtrahere, ſine quia nichil boni fieri poteſt. Apte ergo. d. *Ingredere ad Pharaonem, vt faciam ſigna mea in eo ego enim induraui cor eius.* Q. D. Ob id volo ad Pharaonem ingrediaris quod cor eius *Iacob. 1.* induratum ſit: vt ſi fieri poſſit cor lapideum corde carneo commutet. i. contumaciam obediẽtia: quod non omnino impoſſibile eſt. Cum etiã reprobus agere poſſit: vt prædeſtinetur, ne interim quiſpiam Eccleſiaſtes animo concidat, ſi ob populi tarditatem, fructum ſuę doctrinæ: a limine non conſpexerit. Quis dubitat probos, & reprobos vaſorũ contumelię aut honoris nomine cenſeri quæ in magna domo ſunt? Si quis tamen a vaſis contumeliæ, ſe emũdauerit fiet vas in honorẽ ſanctificatũ, & vtile dño, & ad omne opus bonum paratum. Noueris ergo tu quiſquis es prædicator, quo fine ad tuum munus euectus *2. Ti. 2.* ſis, non vt eos ſolos conuenias: quos benigniores cognoueris facilioreſque & maiore pietate nitentes, functio enim tua periculis abundat, etiam vt morti occumbas: ſi temporis opportunitas id popoſcat. Ad quos miſit dominus Prophetas, & Apoſtolos? Apud eos ſane, apud quos perſecutione non caruerunt. Ad eos certè quos feritas lupis ſimiles reddebat. Nam cum de Apoſtolo Ananiæ loqueretur Chriſtus D. Vas

electionis eſt michi iſte,vt portet nomen coram gentibus,& Regibus & filijs Iſrael. Ego enim oſtendam illi quanta eum pro nomine meo pa-
Mat. 9 ti.Recordemur verborum domini Ieſu dicentis non veni vocare iuſtos,ſed peccatores ad pœnitentiam.Et iterum non neceſſe habent ſani medico ſed qui male habent. Ob id non miremur
Gene.4. quod iuſſu Dei ingreſſus fuerit Moyſes ad Pharaonem:tametſi induratum , fuerit eius duritia grandis reſiſtentiæ,ſed verbi Dei maior eſt efficatia:quanto Deus fortior eſt Dyabolo. Ingredere ergo vt faciam ſigna mea. Q. D. Si timeas
Luc.16. ne Pharaonis duricia laborem doctrinæ tuæ ludat, ſignorum meorũ ſolatio erigeris. Ingredere. i. non pudeat ô Moyſes virum induratum alloqui,cui & ſi tuum prçconium non proderit, non erit tamen omnino inutile. Quandoquidẽ non illius gratia tantum te mitto , aut facturus ſum ſigna,ſed multorum , quos cautiores red-
Eſay. 1. det aliena miſeria . Nam vnius Caym perditio pleroſque parricidio temperare fecit. Vnius æpulonis acerbitas , ad pietatis, & compaſſionis
1.*Co.*10 opera multos incitauit. Quamobrẽ Moyſi prçcipitur quatenus narret auribus filij, & nepotũ quoties contriuerit Ægiptios.Non quod diuinã clementiã delectet punitio,cui propriũ eſt miſereri,qui non delectatur in hominũ perditione, qui per Prophetã quaſi eiulans dicit . Heu cõſolabor de hoſtibus meis.Sed quemadmodũ multi Iudæorũ perierunt ab exterminatore,& ſerpẽtibus,quod cõtigit in figurã ad correptionẽ noſtrã, pariter ne Iudæi beneficia Dei obliuione

ſepelirent iuſſit dñs poſteris notũ fieri quoties contriuerit Ægiptios,atque ab eorum ſeruitute eos eripuerit. Quoniã duo potiſſimũ ad virtutũ mores nos cõponunt nẽpe beneficiorũ Dei recordatio, & eorum perditio qui auxiliũ Dei,quo ſaluari poterant,contẽpſerunt Nec narrare hæc ſigna Moyſes tãtũ iubetur,verũ addit aurib⁹ filij & nepotũ tuorũ. i. filiorũ filij tui. Ne ſolis ſacrę ſcripturæ limitibus veritas contineri iudicetur. *Luc.* 8.
Cum maximè pateat viuę vocis oraculo quẽadmodũ Chriſtus docuiſſe fertur ſcilicet ſiue ſcriptura. Nõ quod in ſuæ doctrinæ teſtimoniũ ſacrã ſcripturã nõ produxerit, ſed quia nichil [vt doceret] ſcripſit. Ideo quãdoq; dicebat Qui habet aures audiendi audiat. Perinde ac ſi dixiſſet, *Mat.* 5.
aurib⁹ magis quã oculis opus eſt ei qui doctrinę meę fructũ deſiderat. Itaq; S. Mathæus eũ os aperuiſſe teſtatur: cũ doceret. Nã manibus eius clauis perforatis os ad mortẽ vſq; liberũ permãſit. Hæc dixerim, quod noſtri tẽporis hæreſium fere baſis præcipua eſt, vt præter doctrinã quæ de ſcripturis ſumitur, nichil eſt quod noſtræ fidei ſubiaceat. Quod id quã ſit periculoſum, ipſa experientia demõſtrat: multorũ a fide defectio. *Baſilius*
Dogmata aũt quæ in Eccleſia prædicãtur quædã *de ſſo.*
habemus è doctrina ſcripto ꝑdita. Rurſus apo- *cap. 27.*
ſtolorũ traditiõe in myſterio.i.in occulto tradita recipim⁹. quorũ vtraq; parẽ vim habẽt ad pietatẽ nec hijs quiſq̃ cõtradicit, quiſquis ſane vel tenuiter expert⁹ eſt: quę sũt iura Eccleſiaſtica, nã ſi cõſuetudines quę ſcripto ꝑditę nõ ſunt tãquã haud multũ habẽtes momẽti conemur reijcere

imprudétes & ea damnabimus quæ in Euágelio neceſſaria ad ſaluté habentur. Imo potius ipſam fidei prædicationé ad nudũ nomen cõtrahemus. Quod genus eſt, vt eius quod primum & vulgatiſſimum primo loco commemorem, vt ſigno crucis eos qui ſpem collocarunt in Chriſtum ſignemus, quis ſcripto docuit? Vt ad orienté verſi precemur quæ nos docuit ſcriptura? Inuocationis verba cum oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto reliquit? Nec enim hijs cõtenti ſumus quæ commemorat Apoſtolus aut Euangelium. Verum alia quoque & ante & poſt dicimus tanquã multum habentia momenti ad myſterium quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus. Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis, præterea ipſum qui baptiſmum accepit, ex quibus ſcriptis, nonne a ſecreta tacitaque traditione? Reliqua autem quæ fiunt in baptiſmo, velut renunciare Satanæ, & Angelis eius ex qua ſcriptura habemus? Nonne ex priuata, & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina quam patres noſtri in ſilentio, quod curioſos, & ocioſos ſubmouet ſeruarunt? Sicut ergo ſigna, & mirabilia, quæ dominus aduerſus Ægiptios fecit, non ſine populi ſui ſolatio patuiſſent ludibrio & ridiculo, & cætera beneficiorum Dei genera, quæ ſola narratione auribus ſubiecta filiorũ & nepotum Moyſi ſi contempſiſſent credere Quid expectare debemus ex Chriſtianiſmo niſi merum luſum, falſam fidem, & inanem prædicationem? ſi ad hoc ventũ ſit vt præter ea quæ ſcripto pro-

duntur, nichil eximetur, niſi ludicrum, & futile? Imo Apoſtolus quem tanti faciunt extorres fidei ſua auctoritate ſeminudus iaceret qui iubet traditiones tenere quas didiſcimus ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam. Nec minorem debemus adhibere fidem præfectis Eccleſiæ quam olim Iudæi ſuæ ſinagogæ proceribus. *Et ſciatis quia ego dñs Deus.* Tota prædicationum vis huc tendere debet, vt quantũ patitur auditorum infirmitas, Deus dominus eſſe declaretur. Vt non ſolum miſericors, clemens, longanimis, propenſus ad veniam, ſaluator, in promiſſis fidelis, operum bonorum retributor annuncietur, ſed iuſtus, etiam vt ocioſum verbum puniat. Vindex malorum, & vltionum Deus, vt honoretur quia Pater, timeaturque quia dominus. Narrabis igitur o Moyſes in auribus filij tui, & nepotũ tuorum quoties pro veſtra ereptione contriuerim Ægiptios, vt cognita in pios clementia, & in reprobis ira, ſciant quia ego dominus Deus, non Deus inualidus velut Baal qui Prophetas ſuos falſos defendere non potuit vel ſicut Dagon qui ante archam corruit. Aut ſerpens quem Daniel interficit. Sed dominus Deus qui nouit, & poteſt iuſtos conſeruare, & impios punire. Sic Apoſtolus annunciabat dominum Deum dicẽs. Vide bonitatẽ, & ſeueritatem Dei, in eos quidẽ qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei ſi permanſeris in bonitate. Alioquin & tu excideris. Itaq;. Tunc Deũ vere cognoſcimus cum eum vnicuique reddere quod ſuum eſt credimus & credentes cum Propheta exultamus

2. Teſſ. 2
Mat. 11.
Mala. 1.
Reg. .18
Rom. 11.

dicentes. Memor fui iudiciorum tuorum a ſeculo dñe, & conſolatus ſum, quod iudiciorum eius
Pſal.118 æquitas: nullum peccatum impunitate ſepelit, nec vllã virtutem mercede deſtituit In hoc ergo glorietur qui gloriatur (inquit dominus) ſcire, & noſſe me. Quia ego ſum dominus qui facio miſericordiam, & iudicium & iuſticiam in terra Et hæc erat præcipua Apoſtoli gloria Ieſum ſcire. Hæc igitur narranda erant in auribus filij
Hiere.9 & nepotum, quibus non minor credendi neceſſitas, quã patribus narrandi, ne cuipiam poſterorum tutum videatur monitis ac decretis refragari, quibus antiquitas Eccleſiæ atque vniuerſitas: conſenſum prębuerunt. Nec ſe putẽt ab Angelo Satanæ alienos, qui propter fidei ſimplicitatem, obedientiamque integram & Dei timorem, parentes & eos qui longè præceſſerunt iudicare deliros & ineptos extitiſſe. Iſtorum ergo
Iob, 30. arrogantia apud Iob depingitur qui nomine Eccleſiæ ſpiritu prophetico aduerſus huiuſmodi in hæc verba prorumpit. Ecce iuniores tempore nunc derident me, quorum non dignabar
* patres ponere cum canibus gregis mei. Sane
Gregor. lib. 10. morũ 3. lib.ca.7 aptiſſime dictum. * Quoniam omnes hæretici vniuerſalis Eccleſiæ ætati comparati iuniores tempore congrue vocantur quia ipſi ab ea, non autem ipſa egreſſa eſt ab ipſis, vnde per Ioãnem recte dicitur. Exierunt a nobis, ſed non erant ex nobis. Iuniores ergo tempore ſanctam Eccleſiam, cum hij qui ab ea egreſſi ſunt: doctrinæ eius verba deſpiciunt. Indigni itaque horum iuniorum id eſt hæreticorum patres (quos vocãt hæ-

reſiarchas (poni cum canibus gregis Eccleſiæ.i. indigni ſunt quomodo conferri aut aſſimilari prædicatoribus Eccleſiæ, qui vt ab ouium caula lupos arceant merito canes dicuntur. Quapropter dicitur. Non te prætereat narratio ſeniorum. Ipſi enim didicerunt a patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum. Nam ob id maximè hęreſes ortæ ſunt (quarum rabiem nũc in francia cernimus) quia iuniores tempore, id eſt hæretici eorum narrationem reſpuunt, qui obſcura queque ſacræ ſcripturæ documenta ſancto dictante ſpiritu aperuerunt: quantum permiſit temporis neceſſitas. Hinc fiunt diſceſſiones a fide & ſacramentis, & diſcinditur Eccleſiaſticæ pacis concordia, vt in veritate (proh dolor) videmus compleri quod in diuiſione Regni Iudæ typice præceſſit tempore Roboam, qui relicto ſeniorum conſilio iuniorum ſecutus eſt hortamenta. Interim ex narratione quæ iubetur filijs & nepotibus fieri vt Deus cognoſcatur dominus. Diſcamus poſteris prouidere, ne nobis vita functis: nobiſcum fides ſepeliatur & religio, vt cum mortui fuerimus, viuamus in illis quos per euangeliũ in Chriſto genuimus. Non tantum nos qui publico prædicandi munere fungimur. Verum & omnes qui ſibi vel carnis neceſſitudine vel præcipiendi equo iure habent deuinctos: ne infidelibus deteriores habeantur. Sane pudore ſuffuſus loquor. Plerique eorum qui videntur nomen Chriſto dediſſe, adeo deſides ſunt, vt ad ætatem quæ matrimonij capax eſt liberos nutriant, qui ſe eſſe Chriſtia-

Eccle.8.

nos;ſola fama nouerũt,qui nec dico legere,veri nec quicquam eorum ſapere, quæ dumtaxat ad elementa religionis pertinent,quibus ſi Turciſmus proponeretur aut Iudaiſmus,quid contingeret : ignoro. Et quod lachrimis dignum eſt. Ætate cogente cum de mẽſa domini fit quæſtio, nullus apud eos agnoſcitur delectus inter merum panem : & corpus Chriſti. Et ſi contingat talium patres deſidiæ argui non erubeſcunt etiã perfricta fronte dicere. Nunquid Eccleſiaſtes ſum aut monachus, aut ſacerdos?Sane. Tobias ſacerdos non erat cum non eſſet de tribu Leui ſed Neptalim:qui filium ſuum nomine ſimilem adeo erudiuit, vt vitæ probitate ſibi poſt mortẽ relinqueret. Quod ergo vni iuſſum eſt Moyſi pro filio,& nepotibus, nouerint omnes qui ætatis inferioris habent ſibi ſubditos vtique præcipi,vt per eos non ſtet, quominus S. Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ vigeat authoritas, & ſacramentorum ſeptem permaneat integritas.*Vſquequo non vis michi ſubijci?* Pares alteri Deo qui me ſit potentior?At Rex magnus ſum ſuper oẽs Deos,tametſi naturam ſpectans non debes aliũ Deum præter me expectare. Videris tibi Deus, quod ad regale ſolium euectus ſis? At ſine mea ope,a plagis prioribus liberari nõ potuiſti. Te alius Pharao præceſſit in Regno. Alius te ſubſequetur:cum amplius non fueris. Noueris igitur te viuere cœpiſſe, & inde te diem extemum morte clauſurum. Cur ergo non vis michi ſubijci? Ponis carnem brachium tuum. Cur michi denegas quod æquiſſimo iure debetur, nõ ſane no-

nominis mei iniuria, & cõtumelia? Nã à populo meo extorques, vt tibi ſubijciatur, & plus ſolito onerib' opprimatur. Nichil a te extorqueo, quod meum eſt requiro. Per me quidem regnas. Per me ergo te regnare cognoſcas. Nã aliud eſt te michi, aliud verò populum meũ tibi ſubijci. *Mat.* 11.
Quia tibi ſubiici grauari eſt. Si verò michi voluntariæ ſubiiciaris: nulli oneri ſuccumbes. Qui enim ad me veniunt obediẽdi gratia, labore onerati reficiũtur, nec cuipiam impono iugũ niſi ſuaue. Michi quidẽ ſubiectus es ſed non videris michi ſubiectus, ſi tua non acceſſerit volũtas. Non igitur cauſor te michi non ſubiectũ ſed quod nolis michi ſubiici. Solã tuam volũtatem accuſo, quæ ſi in duricia permanſerit, ſola in inferno ardebit. Tua certe ſubiectio, nullã michi opem fert. Quod vero nõ vis michi ſubiici, nullum michi, ſed tibi detrimentum parit. Quis vnquam michi reſtitit & pacẽ habuit? Habere profecto pacẽ non poteſt, qui extra ſe auxilium nõ quærit, ſed extra ſe auxilium habere non poteſt, qui Deum eſſe non cupit. Siquidem Deum eſſe, & omnipotentem permanere, pro eodem habetur, vt ſi, quod fieri non poteſt, non eſſe omnipotens, nec Deus eſſe poteſt. Quandiu itaque non vis michi ſubiici: me non eſſe Deũ deſideras. Quoniã fieri non poteſt vt omnia non ſint michi ſubiecta. Humiliare igitur ſub manu mea potẽti: quã iamdudũ ſenſiſti. *Dimitte populũ meũ vt ſacrificet michi.* Eſto, non egeas remedio, miſſum tamen fac populũ meum, vt ex ſacrificio ſumat remediũ, ne forte ei accidat peſtis aut gladi', *1. Pet.* 5.

Q

dimitte vt ſacrificet michi. Ideo non vis michi ſubiici, quia tibi a populo meo ſeruiri poti⁹ quã michi ſatagis. Nã ne eorum careas famulatu, &
Rom. 1. miniſterio:agis vt non miniſtrẽt michi. Non eſt ſanè idolatriæ genus magis abhominãdum, quã ſeruire creaturę potius quã creatori: & ſeipſum Deo altiſſimo præferre. Hij igitur caueant quos principatus aut præfectura extollit, ne tantis negotijs implicẽt eos: quos ſuo obſequio habent deputatos vt ſacris intereſſe non liceat, minus audire verbũ Dei. Vereor dicere, quod fieri doleo. Pleroſq; conſpicies in Principum curijs Sacerdotes, occurſationibus vacantes, & adulationibus, per totũ diẽ ita occupatos, vt cœna ſumpta, nondũ officium perſoluerint: & plerũque cõtingit, vt ſopore depreſſi [Deo inſalutato] abeant cubitum. Principes, & Reges non inficior debere aut opportere Sacerdotibus muniri, ſi honor diuinus ſpectetur obſeruandus. Alioquin. Audiãt Principes Deum in abdito conſcientiæ dicentẽ. Dimitte populum meum vt ſacrificet michi. i. Noli Sacerdotes negotijs ſecularib⁹ inuoluere, nec eos ab altari meo arcere. Qui enim ſacerdotes ſuo deturbãt miniſterio, Deo nõ vult ſubiici, cui ne ſeruiatur prebet occaſionem.
Libri. 1. Ep. 9. Ob id ſ. Cyprian⁹ oblationẽ pro victoris defuncti aĩa fieri prohibuit, qui contra patrum & Epiſcoporũ decreta fauſtinũ præſbiterũ: ſuo teſtamento tutorẽ nominauerit. *Sin autẽ reſiſtis & non vis eũ dimittere, ecce inducã cras locuſtam in fines tuos quæ operiet ſuperficiem terræ, ne quicquam eius appareat ſed comedatur, quod reſiduum fuerit grandin*

Hic locuſtarum (de quarum ſignificatione craſtina die dicturi) prædicitur plaga, quæ animalia quidem exigua ſunt: ſed nocina, quibus Pharao, nolens ſubiici Deo, meritò ſubiicitur. Iuſtum eſt enim vt qui iugum Domini de humeris ſuis excutit, grauiorem ſarcinā etiam inuitus, aliquando portare cogatur. Nā Iudæi a Deo deficientes Dijs alienis ſeruierunt, qui non dabant eis requiem die ac nocte. Inſuper Samuelē ſpernentes, & ipſi Deum ſpreuiſſe cēſentur ne regnaret ſuper eos, eique non ſubiicerentur: regē petentes. Ob id regibus parentes quos arrogantia elegerant, iugum ſuaue: importabili commitarunt. Nec vnquam Deū dereliquerunt, quin eis grauiùs contigerit, vel Moab aut Aamon aut Philiſtiim ſeruierunt. Et hoc onere præſſi ſunt aliquando, vt ſpreto Deo, non aliter Deos ſuos, quos colebant, placarent: quam nece liberorum ſuorum, quos per ignem traducebant. Plerique hominum, qui pietati vale dixerant, non erubuerunt adorare pro numinibus ea quæ dicere pudet. Itaque infamiam fugere non poteſt, qui Deo obſequium recuſat impendere. Non hæret ambiguo quod ipſa experientia hiſce temporibus cernitur. Hæretici quibus faſtidio fuerunt eccleſiæ antiquitas, vniuerſitas, & conſenſus, ſanctiones & patrum decreta, oneribus, luto & lateribus Ægipti grauioribus obnoxij facti ſunt, non ſolum corporis: verum & animæ. Nam relicta veritatis via, in ambigua itinera doctrinarum, ſalutis perplexitatem (qua nil animæ grauiùs eſt & conſcientiæ) patiuntur,

Iere.16.

1.Reg.8.

quibus tãtum foret eccleſiæ gremium repetere, releuandæ famis ſpiritualis gratia. Et quẽadmodum tutius erat Pharaoni Deo ſubiici, quã torqueri locuſtis. Ita illis iugum Chriſti ſubire, & eccleſiæ Romanę: quã lingua hæreticorũ decipi, qui vt cõgruo dicetur tẽpore, haud ſunt locuſtis abſimiles. Si de hijs incidat ſermo, qui Chriſtianiſſimum Turciſmo cõmutarunt, quã tutum ſit Deo obſequi: liquido cõſtabit. Nam voluptatis cauſa Chriſtum ſpernẽtes, in hãc inciderunt inſaniam, vt nullo reſpectu, nulla ve occaſione, ad ſui imperatoris arbitriũ in ſe manus lætales: ſine vlla cunctatione coniiciãt. Pareamus igitur, & ſubiiciamur Deo, ne creaturæ inferiores, quæ debent nobis eſſe obſequio: ſint nobis opprobrio. Nam Deo ſeruire etiã inter miſerias & opprobria, regnãdi eſt fomẽtũ. Ab eo vero deficere, etiã ſi affluant diuitiæ creſ ſi abundãtiores, non poſſunt in animo tormenta non ſentiri, & tanto amplius quãto amplius reſiſtemus, quod ex pręſenti cõminatione facile colligi poteſt, quæ præcedenti lõge grauior indicitur. Siquidẽ. Grando cunctã agri herbã percuſſerat, ſed non totam de-
Sapiẽ.12 ſtruxerat, hoc certe locuſtis reſeruabatur. Tant eſt enim Dei miſericordia, & tam ſuauis eſt ſpi ritus eius in omnib⁹, vt eos qui exerrãt partibu corripit, vt relicta malicia credãt in eum, Sinat
2.Pa.33 tem, ad maiorem cõplentur miſeriam. Partib Manaſſes correptus ſummã pœnam minime e pertus eſt, quod ipſa carceris pœna laſceſſitus reſipiſcẽtiã properauit. Hærodes correpț⁹ par b⁹, qui tot morbos quot mẽbra habebat pater

maiorem cruciatum (in inſania moriens) ſuæ crudelitatis mercedem ſuſcepit. Apud Ioannem Paraliticus partē pœnarum pro integra habuit, Chriſti hortamentis obediens. Potuit namque Pharaonis contumacia, prioribus plagis (ſi fides acceſſiſſet) purgari, quibus ob pertinaciā cœpit in hoc mundo damnari. Rogemus igitur altiſſimū, vt quæ nunc pro peccatis noſtris patimus, ſint noſtrę purgationis remedia: non damnationis æternæ exordia. Amen. *Ioan. 5.*

Homilia XXII.

Dixerunt autem ſerui Pharaonis ad eum. Vſquequo patiemur hoc ſcandalum. Dimitte homines vt ſacrificent domino Deo ſuo. Nonne vides quod perierit Aegiptus? Conſidera [inquit ſcriptura] opera Dei. Quia quem Deus deſpexit nemo poteſt corrigere, nec ad nequitiam adducere quem decreuerit conſeruare. In euangelio hodierno miſerunt Iudæi ſacerdotes & leuitas ad Ioannem vt interrogarent eum. Tu quis es? vt per adulationem ipſum allicerent ad cōfitendū ſe Chriſtū, ſed maluit in ſe ſolide ſubſiſtere, ne inaniter raperetur ſupra ſe, nec plus iuſto ſibi tribuere voluit, vt Chriſto aliquid adimeret quo ſe longè inferiorem confeſſus eſt. Contra, Pharao tantis laceſſitus plagis vt reſipiſceret, etiam hortamentis ſeruorum ſuorum corripi non potuit, cuius cor iam Deus indurauerat. Ille non poterat etiā illectus: non confiteri Chriſtum. Iſte vero non potuit quia noluit cognoſcere dominum. Cui ad maioris damnationis *Eccle. 7.* *Ioan. 1.*

cumulum, acceſſit quod ſeruis ſuis (quos ha ctenus ſuæ duriciei ſocios habuerit) ad obedi entiam conſulentibus credere noluit, quos ſib reſeruarat dominus, vt eorum conſilio: infœli cem ſucceſſum euaderet. Non crediderit Moyſi, quem obtentu imparis cultus ſuſpectum ſibi rebatur. Credidiſſe debuit ſeruis ſuis, qui ſibi

Ioan.18. nationis neceſſitudine iungebantur. Videns Chriſtus Iudæos ſibi non credere, ad ſuoſmet prouocare non diſtulit credendi gratia. Ecce (inquiebat) Hij ſciunt quæ dixerim ego. Paulus ſeditionis inſimulatus, cum ſuam cauſam coram

Act.24 fœlice Præſide ageret, Iudæos pro teſtibus non reſpuit. Quidam, inquit, ex Aſia Iudæi quos oportebat præſto eſſe apud te, & accuſare ſi quid haberent aduerſum me, aut hij ipſi dicant ſi quid inuenerint in me iniquitatis: cum ſtem in

Num.23 conſilio. Nam adeò inualeſcit veritas, vt ab æmulis teſtimonium accipiat aliquando, Balaam qui malè præcari populo Dei optabat, non niſi dicere potuit: quæ veritati arridebant. Inſuper, veritas eorum qui foris ſunt teſtimonium

1.*Thi*.3. non ſpernit: cum Epiſcopum vitæ inculpatæ declarant. Interim diſcamus hic dominũ Deum hic egiſſe, vt omni medio, & quacunque via ſententiam mutaret. Sepiùs enim miſit Moyſem, Aaronem, quibus deſpectis, pluries ſeruos excitauit, quorum verbis ad tempus credidit. Tamen per eos non ſtetit, quo minus præceptum Dei compleretur. Nec minore miſericordia, Iudæorum ſalutem curauit, quibus Prophetas occidentibus, & Apoſtolos perſe-

quentibus, vt ſaltem crederent illis, quos ante habuerunt ſuæ perfidiæ defenſores: & fidei *Mat. 15* Chriſtianæ perſecutores acerrimos, & quibus Apoſtolus ſe talem fuiſſe confitetur, qui tamen cum ſerò venerit: plus omnibus laborauit. Præter ſacerdotes, peſtilentiores inimicos Chriſtus non habuit. Nonne tunc temporis erant ſerui Pharaonis, id eſt, Satanæ, qui Pharaonem typum habuit? Quandoquidem ſacerdotes miſſi ad Ioannem inuidebant Chriſto, & gloriæ eius. Vis videre ſeruos Pharaonis, id eſt, illos ſacerdotes ad meliora conſulentes? Temporis ſucceſſu, multa turba Sacerdotum obediebat fidei: grandi Chriſtianorum ſolatio. Nec defuit Paganis & Gentibus auxilium: quo Chriſtianiſmo inaugurarentur, ex hijs cum quibus idolatriam coluerunt. Clemens Petri ſucceſſor & Iuſtinus, ambo martyrio clari, & quondã Euãgelio ignoti: non modicum Euangelio contulerunt. Quêadmodum multum contuliſſe potuerunt Pharaoni ſerui eius: ſi cordis duricia non obſtitiſſet. Conſidera eorum verba diligenter, & verorum eccleſiaſtum genuinum morem cõſpicies. Siquidem eorum muneris & functionis eſt, etiam ſi coram Regibus declament, ad diuinum honorem corda hominum euehere. Scandala vitanda proponere. Damnationiſque pericula oſtendere, nemini adulari. Audi itaque quomodo loquuntur. *Vſquequo patiemur hoc ſcandalum?* Quod bifariam venit intelligendum nempe contra Deum & proximum

1. Co. 15.

Similitudo ſacerdotũ Iudæorũ & Seruorum Pharaonis.

Act. 6.

Vſquequo ergo patiemur hoc ſcãdalum vt Deo ſemper reſiſtere dicamur, vt ſemper affligamur? Secundo, vſquequo patiemur hoc ſcandalum. i. quandiu dabimus poſteris & puſillis occaſionem ruinæ vt exemplo noſtro ſimili contumacia exacerbent dominum Deum? Indecorum eſt (o Rex) tuis eſſe ſcandalo cuius probitatis exemplo: componi debent. Ob id Dauidi pœna indicta eſt, quod ſuo ſcandalo, Infidelibus nomen domini blaſphemãdi occaſionem prębuerit. Nam qui ſcandalizauerit vnum ex hiis puſillis, qui in Chriſtum credunt, in profundum maris mergatur, dignus eſt. *Dimitte homines vt ſacrificent domino Deo ſuo*. Atque rationem reddunt dimittendi quatenus ſacrificent, dicentes. *Num vides quod perit Aegiptus*? Nulla Regni maior deſtructio quam religionis contemptus, neglectũ
2. Re. 12 Euchariſtiæ ſacramentum, ſacerdotij deiectio, abrogatio conciliorum. Nonne coram videm⁹ Regnum Franciæ perire, tumultibus, inſidiis, homicidiis, ſacramentorum contemptu, verbi
Mat. 18 Dei negligentia contumelia aduerſus Sacerdotes, & multorum defectione a fide & Rege? Quod tamen Regnum [ne cæteris aliquid adimam] tantis annorum centuriis, non ſolum viris fortibus abundauit, verum templorum magnificentia, diuini cũltus ſollicitudine, ſacratum literarum ſtudio, prædicatorum eximiorum numero, doctiſſimis hominibus, monachorum ſanctitate enituit, quibus omnibus, & ſi omnino non ſit deſtitutum, decoris tamen priſtini: ingẽtem iacturam ſuſcepit, Hieroboam, vſurpatur

Regnum, cuius exordia falſo dedicauit cultu, in vnico ſucceſſore perdidit. Nec fuit qui tali Regno ſuccederet: quem idololàtria non maculauerit. Od id tale Regnum in manus Aſſiriorum incidens, fidem & ruinam accepit Dauid tamen multis laceſſitus aduerſariis, ſemper Regnum ſeruauit incolume, quod diuini cultus ſemper acerrimus extiterit defenſor. At falſi cult⁹ adinuentio, Regnis finem afferre ſolet. *Nonne vides quod perijt Ægiptus?* Ægiptus tenebre dicuntur. Et vtinam hæretici qui Euchariſtiæ ſacrificio fideles deturbare nituntur, viderent iam Ægiptum periſſe. i. vtinam viderent errorum & hæreſum calamitates & miſerias, imo hæreſum tenebras eliminatas verborum Chriſti claritate, definitis conciliorum ſanctionibus, patrumq; ſententijs. Hæretico videbatur caro Chriſti minimè ſacramento Euchariſtiæ contineri & eadẽ caro prorſus eſſe inutilis, quod Chriſtus dixerit. Caro non prodeſt quicquam. Sed periit Ægiptus cum illuxiſſet verbum eiuſdem Chriſti dicentis. Caro mea vere eſt cibus qui carnem ſuam nunquam prodeſſe negauit, ſed bene carnem non ſuam ſed ſenſum carnalem. Berengarius docuit homines ſacrificio domini detrahere, cum ſacramento corporis Chriſti præſentiã adimeret, pleroſque in gallia tali fuco faſcinauit. At Leonis, Victoris ſecũdi, & Nicolai ſecũdi ſummorum pontificum ope atque ſtudio. Concilia Vercellẽſe, Turonẽſe, & Romanum, eius hæreſis tenebras effugarunt, vt tandem & ipſe palinodiam cantauerit. Cum ergo luterus,

3. Re. 12 & 14.

Ioan. 6.

& Caluinus viderint ex tantis teſtimoniis Ægiptum petiiſſe. i. hæreſum harũ tenebras, cur de profundo inferni iam ſepultas reuocarent, vt prodirent iterum: niſi vt homines luto huius mundi hærentes intra ſuæ Ægipti. i. ſuarum hęreſum tenebras occupatos, ſacramento altaris ac corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificio propiciatorio deturbare nituntur? Nec ex toto operam luſerunt, cum Germaniarum, & Galliarum bonam partem ſuorum errorum inuolucris infecerint, inſuper, ſacrificium Chriſti explodi non poteſt, niſi tota Ægipto, i toto mũdo pereunte, ad cuius vſque finem Chriſtus ſui præſentiam promiſit, qui fidelis eſt: mentiri non poteſt. *Reuocaueruntque Moyſem, & Aaronẽ ad Pharaonem.* Quo fine ſerui conſuluerint Pharaoni: non intereſt cum (& ſi non integer) qualiſcunque ſucceſſerit fructus. Quid enim, inquit Apoſtolus, dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur? Interim quod æquum, & iuſtum erat conſuluerunt, & obtinuerunt, vt Moyſes, & Aaron reuocarentur. Bonæ nãque ſpei exordiũ eſt, cum Reges ſuis auribus habent præſentes qui adulationẽ oderint. Nec ſanè vlli regno meliùs cõtingere poteſt, quàm quod Moyſes & Aaron ante conſpectum Regũ reuocentur. Atque hoc ſerui frugi doctrinæ euangelicæ munus eſt reuocare eos ante eorũ conſpectũ qui rerũ ſummã habẽt. Quid eſt aũt Moyſem reuocare ante Regem, niſi illi plerumque legẽ ſeruandã inculcare? Nã per Moyſem, lex venit intelligẽda: Aarone verò ſa-

Heb. 6.

Philip. 1

cerdotiũ exprimitur. Et tunc Aaron ad regẽ re-
uocatur, cum ſine ſacerdotum arbitrio de cultu
ac religione non præſumit diſſerere. Siquidem
ſancitum erat in lege quod ſequitur. Poſtquam
ſederit Rex in ſolio Regni ſui deſcribet ſibi
Deuteronomium libri huius in volumine, acci- *Deut.17*
piens exẽplar a Sacerdotibus leuiticæ tribus, &
habebit ſecum, leget illud omnibus diebus vitæ
ſuæ, vt diſcat timere dominum Deum ſuum, &
cuſtodire verba ceremonias eius: quæ in lege
ſcripta ſunt. Lex itaque & ſacerdotium, ante Re-
gem aut Principem reuocantur, cum memoria
legis ſeruandæ ei proponitur, non ſecundum
ſenſus proprij captum, ſed ſecundum ſacerdo-
tum decretum: vt cognoſcat eos morte plectẽ-
dos iudicis decreto, qui ſuperbientes noluerint
obedire ſacerdotis imperio, vt cunctus popu-
lus audiens timeat: & nullus deinceps intume-
ſcat ſuperbia. Nouerint itque Reges ſe Chriſti
Eccleſiæ alumnos: nõ dominos, vt eis liceat Ec-
cleſiæ ſancita obſeruare, non condere, nec ei le-
ges præfigere. Quemadmodum contigit Phara-
oni, qui ſacrificio celebrando modum ſtatuere
præſumpſit, ſicut ſequitur. *Ite ſacrificate domino
Deo veſtro. Quitnam ſunt ituri?* Errabat diuiſionem
volens populi quam vnitatis ſacrificiũ admitte-
re non poteſt. Videbatur ſatis eſſe ſi ſoli viri ſa- *Rom.12*
crificarẽt aut ſacrificio aſtarent quaſi ſoli viri ſa-
lutis remedio indigerẽt. Sacrificare aũt Deo nõ
eſt dũtaxat pecus mactare, ſed ſeipſum exibere
hoſtiã viuẽtẽ, ſanctã, Deo placentẽ, Idque omni
ætati congruit: & ſexui. Ob id reſpõdit Moyſes.

Cum paruulis, & ſenioribus pergemus cum filijs & filiabus, cum ouibus, & armentis. Nemo (inquit Chriſtus) poteſt duobus dominis ſeruire, qui contrario ſunt conſenſu. Apte igitur reſpondit Moyſes nec remanſuros quidem paruulos. Nã ſeipſum Dei obſequio conſecrare, ſalutem vero
Mat. 6. populi negligere: duobus dominis carere non poteſt. Pudore igitur ſuffundantur, qui cum fidẽ calleãt Catholicam, filias a cunabulis verb cultu imbutas, matrimonio hæreticis iungunt, diuitias ſpectantes, ſed hæreſis exponentes periculo, quos verius dixerim filiorum tortores quã parentes. Ad Chriſti ſacrificium igitur ita par-
Mat. 18 uuli pertinent, vt niſi paruulis ſimiles effecti fuerimus, Chriſti ſacrificio cenſebimur indigni. Sed hodie paruulos deturbare ſacrificio nititur Pharao .i. Satanas dum pro virili, fraude & dolo molitur paruulis baptiſma ſubducere obtentu
Ioan. 3. ſanctificationis confictæ qua autumant eos in vteris matrum ſanctificatos, vt baptiſmi neceſſitate denegata: tandem & ipſe baptiſmus explodatur, & paruuli mari rubro .i. baptiſmo nõ immerſi ad ſacrificandum Deo cum ſenioribus nõ poſſint. Et ſic aduerſantur Chriſto dicenti. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ
Rom. 15 poteſt introire in Regnum Dei in quo Chriſti ſacrificium maximè viget. Interim. Hij cum paruulis dedignantur pergere ad ſacrificandũ qui munus irreconciliato fratre offerunt, & infirmum in fide abiiciunt, & infirmitati non conſulunt, & ſibi placentes, cum ſint firmiores imbecillitates infirmorũ ſuſtinere. Pergunt etiam

ad ſacrificium cum ſenioribus, qui coutuntur ſacerdotibus cum quibus eundem ſenſum habent. * Alioquin, quæ ſacrificia cœlebrare ſe credunt ęmuli ſacerdotum? An cum Chriſto videtur eſſe, qui aduerſus Chriſti ſacerdotes facit, qui ſe a cleri eius, vel plebis ſocietate fecerint? Ille etiam pergit ad ſacricandum Deo cum ſenioribus, qui parentes honorat, patriſque ſui ſenectam ſuſcipit & non eum contriſtat in vita cui cum defecerit ſeuſu: veniam dat. Nec patri denegat charitatis obſequia, obtentu muneris Deo offerendi. *Cum filijs & filiabus.* Hic de vxoribus nulla videtur fieri mentio. Sed nomine filiarum non ſolas puellas & nondum nuptas intelligas velim, cum interdum ſcriptura filias nominet iam nuptas. Erat (inquit lucas) Elizabeth de filiabus Aaron, cum tamen Zachariæ eſſet vxor. Sed cum ad ſacrificandum Deo pergendum eſt, non ſine documento viros filios, vxores vero filias Moyſes dicit. Siquidem, cum de ſolemnitate ſacrificij agitur vbi vnicuique [ſi paruulos excipias] ſacramentaliter corpus Chriſti ſumendum traditur, nulla tunc vxorum fiat memoria. Quia tunc temporis. Qui vxores habent tanquam non habentes ſint: neceſſum eſt. * Nā quid eſt maius orare, an corpus Chriſti accipere? Vtique accipere corpus Chriſti. Si per coitum quod minus eſt impeditur: multo magis quod maius eſt. Itaque omnes nomine filiorum cenſemur. Quia tali ædulio veſcentes patris noſtri qui in cœlis eſt, prouidentiam atq; dulcedinem ſentimus. Atque qui quotidie huic

Cypria. de ſuplicitate ſacerdot.

Eccle. 3.

Mat. 15.

Luc. 1.

Ieroni. apol pro l. aduer. pelagia.

ſacrificio addicti ſunt, perpetuò nuptijs tempe-
rent, iure diuino ſancitum eſt, maximè qui in-
nupti ad ſacerdotium ſunt euecti. *Cum ouibus, & armentis*. Notum eſt innocentiam ouium no-
mine deſignari. Armenti verò quod diuerſum
Pſa.136 genus pecorum habet, beſtiales motus in ſpiri-
tum inſurgentes. Ad ſacrificium ergo verum
ſpectāt oues & armenta, vt vitæ puritas, abſque
dolo ſimplex animus menſque ſancta & inno-
cens, virtuti ſacrificij tribuatur. Chriſtique me-
rito, inſurgenſque libido, familiaris rei effuſa
ſollicitudo, cupido voluptatis, diuinæ bonitatis
1.Co.10 obliuio, vindictæ appetitus, & cætera queque
quæ charitatis feruorem auerſantur: tanquam
pecora ſacrificio mactentur. Beatus enim qui
allidet paruulos ſuos ad petram. Cum motus
carnis prodire incipiunt paruuli ſunt, id eſt, in-
ualidi quos ne excreſcentes aduerſus ſpiritum
conualeant, allidendi ad petram veniunt, id eſt.
Chriſtum qui ſecundum Apoſtolum petra eſt.
Ite tantum viri, & ſacrificate domino. Vt ſi non re-
dirent viri, ad libidinem fœminas, paruulos ad
necem reſeruaret. Et qui populum Dei peſſi-
mè cogitare ſubdubitabat, malo genio iam fœ-
minas & paruulos reſeruandos excogitarat. Sed
Gal.3. ad ſolos viros ſpectare non poteſt ſacrificium,
quod pro toto humano genere factum eſt.
Quia in Chriſto Ieſu non eſt maſculus, neque
fœmina. Omnes enim in eo nos ſumus. Vide
quid requirat Pharao, Hoc certè requirit a
nobis Pharaonis caput, id eſt Satanas. Quid
eſt ergo quod Pharao vult viros dumtaxat ſa-

crificare? Scriptura ſacra viros vocare cōſueuit, qui vias dñi fortibus & nō diſſolutis greſſibus ſequuntur. Viri igitur tantum Deo ſacrificant, cum ob virtutum ſtudia actiones illi exhibentur gratiarum. Sed peccata per ſuperbiam reticentur, cui remiſſionis gratia per humilitatem Deo manifeſtanda veniunt. Sic Phariſęus iuſtificatione caruit, quod tacitis peccatis virtutes iactaret. Et publicanus iuſtificatus eſt, non erubeſcens confiteri quæ perperam egerat. *Statimque eiecti ſunt, de conſpectu Pharaonis.* Hactenus nō dicuntur eiecti, ſed medici contemptus, morbi deſperati indicium eſt. Nec populus fore exiſtimatur ſaluandus, qui legatos abiicit Euangelicos: Nam Sodomis remiſſius erit in die iudicij, quàm populo illi. *Extende &c.* vſque *quæ reſidua fuerat grandini.* Q. D. Cum te fratremque tuum Pharao contempſerit, conſequens eſt vt mea contemnatur admonitio, Agedum. Extende manum tuam, vt tua compleatur comminatio, vt Pharao ſentiat completam iram, qui vos ad incompletum ſacrificium admittere tentauit. *Et extendit Moyſes virgam ſuper terram Aegipti. Et dominus induxit ventum vrentem tota die illa, & nocte. Et mane facto leuauit locuſtas, quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Aegipti.* Hic plaga memoratur quæ ingratitudini Pharaonis reſponderet, qui Ægiptiorum maluit adulatione decipi, quàm Dei nunciorum monitione emendari. Quid eſt ergo quod virga extēſa ſuper terrā: ventus vrens inducitur, locuſtæque leuantur, & aſcendunt ſuper vniuerſam

Luc.18.

Mat.11.

terram Ægipti? Sanæ hic tria docentur, primum quod iuſticia Dei quam Pharao cōtempſit, virga extenſa ſuper terram figuratur. Secundum ex iuſticiæ contemptu, orta ingratitudo, quæ ventum vrentem: pro typo habet. Tertium adulatio in locuſtis adumbrata, qua dignus fuit decipi, quem ne diuina monitio emēdaret: ingratitudo prohibuit, Pharao ergo dicens Moyſi & Aaron. Peccaui domino etiam nunc, dominus iuſtus & ego & populus meus impij, tenebat virgam in manu, quia iuſte, & rectè loquebatur. Ceſſantibus autem pluuia grandine & tonitruis, extendit virgam ſuper terram. i. rectitudinem iuſticiæ cōtempſit, quia peccatum & cor eius ingrauatum eſt ingratitudine : & beneficiorum Dei obliuione. Sed vnde tanta ingratitudo? Nimirū ex iuſticiæ contemptu. Ob id extenſa virga ſuper terram, dominus induxit ventum ventem, quia iuſticia contempta facile Pharao lapſus eſt in ingratitudinem quæ vento aſſimilatur vrenti

* quandoquidem * ingratitudo eſt ventus vrens,

Bernard deſiccans fontem pietatis : & fluenta gratiæ,

ſermone qui tota die, & nocte inducitur, quando nulla

52. *in* temporis ratione habita: diuina ſpernuntur be-

Cantic. neficia, ſiue longanimitatem ſpectes, & patien-

Cātico- tiam, ſiue per Moyſem, & Aaron : monitionem

rum. factam, ſiue famis validæ remedia per Ioſeph, ſiue puniendi dilationem. Nec locuſtæ aſcenderunt ſuper vniuerſam terram, donec ventus induceretur vrens tota die ac nocte. Quia plaga quæ per grandinem cœperat graſſari, ad ſummū per locuſtas non perducitur, donec temporis pleni-

plenitudinē habet, quæ diem & noctem habet, menſurā ingratitudinis impleuerit & tūc quidē oēm herbā deuorat,quæ reſidua fuerat grandini locuſta,vrente vēto,inducta. Cū pœnā quā diuina aīaduerſio ex parte inflixerat, noſtra ingratitudo diuinęque monitionis negligentia ex toto mœretur infligi,quæ cū cœperat,poterat tamen deleri pœnitētia. Sed quid eſt quod locuſtæ ſuper vniuerſam terrā Ægipti aſcenderūt? † Locuſtæ vocabulo,lingua adulantis exprimitur,quod exhibitæ cœlitus plagæ Ægiptiæ teſtantur. Adulatio ergo aſcendit ſuper vniuerſam terram Ægipti,quæ interpretatur tenebræ. Quia vbi tenebræ ſunt viciorum,& errorum, vbi Dei & ſalutis viget ignorantia , vbi donorum Dei regnat obliuio,vbi futurorum & æternorum tormentorum excidit memoria , ibi facilè adulatio dilatabit veſtigia ſua,ibi ſua ſede deturbabitur veritas, & tyrannis ſine difficultate locum habet. Quandiu vixit Ioiada ſummus ſacerdos , Ioas Rex Iuda direxit greſſus ſecundum eloquium Dei,& tunc quidem lux erat. Defuncto autem Ioiada, cum Ioas eius miſericordiam obliuione & ingratitudine ſepeliſſet, incidit in has tenebras vt aſcenderet locuſta i. apud eum adulatio locum obtineret . Quia Principum delinitus obſequiis, acquieuit vt derelinquerēt templum domini,& ſeruirent idolis,& tandem Zacharias occideretur,cuius pater Ioas ſeruauerat, ne ab Athalia necaretur . Itaque Pharao qui per adulationem peccauerat, punitur locuſtis , quibus adulantium linguæ exprimuntur. * Quæ hu-

† Gregor. in 30. Iob.c. 31

2.Pa.24

** Gregor. vbi.ſ.*

R

manis frugibus nocent, quando terrenorum hominum mentes, bona aliqua proferre proſpiciunt, hæc immoderatiùs adulando corrumpunt. *Deuorata*. Herbam locuſtæ comedunt, quádo adulatores quique verba loquentium, fauoribus extollunt. Poma vero arborum deuorant quaſi vanis laudibus quorumdam iam quaſi fortium & opera eneruant. Verum id hæreticis maximè congruit, qui in lignis, & herbis, nichil omnino virens relinquunt. Quia vbi eorum dominatur adulatio, nulla veritatis habetur ra-
Ioan. 18 tio, nec in lignis.i. perfectioribus, & herbis. i. ſimplicioribus. Ob id Chriſtus venit in hunc mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati, qui hunc mundum (paucis exceptis) errorib' plenum offendit, qui plagas curaturus veniens, Ioannem miſit qui adulationem, confeſſione vera eliminauit, vt mundus culpa ſua excæca-
Collo. 1. tus eriperetur de poteſtate tenebrarum, & trāſferretur in Regnum dilectionis filij ſui, ad quod dignetur nos omnes perducere. Amen.

Homilia XXIII.

PEccaui in dominum Deum veſtrum & vos. Sed nunc dimitte peccatum michi, etiam hac
1. *Co*. 13. vice. Qui Euangelij prædicandi ſuſceperunt munus tanto ſaluti hominum inſiſtere debent, vt nulla auditorum moroſitate frigeſcere debeant: nec aduerſus eos ſtomachari, charitas enim non irritatur, non cogitat malū, ſed benigna & patiens eſt, vt etiam proprie ſalutis negligentes: rogētur pro ſalute. Rogamus

[inquit Apoſtolus] pro Chriſto reconciliamini
Deo. Vide igitur quid feciſſet rogatus. Cũ ple- 2. Cor. 5.
rumque iis ſeſe prædicaturum obtulerit, apud
quos non benignè audiebat. Chriſt⁹ in Iudæam
gradum reuocat: Iudæorum ſalutis cauſa, quos
paulo ante ſibi ſenſerat infenſos. Quo docemur Ioan. 11.
illorum neceſſitati occurrendum, qui nos auer-
ſantur, cum a nobis monentur, cum nullius ve-
nit deſperanda ſalus, etiam ſi diu vixerit perpe-
ram agens. Siquidem ad vtramque viam virtu-
tis ſeu vicii flecti poteſt: etiam morti proximus.
Non enim eadem hora ad vineam domini exco-
landam mittuntur operarii. Serò acceſſit Apo- Mat. 20
ſtolus quem Apoſtoli non erubuerunt factum
diſcipulum, cum tamen paulo ante, Euangelii
hoſtem acerrimum cognouiſſent, & blaſphe-
mum & contumelioſum. Itaque de peccatoris 1.
conſcientia non eſt ambigendum, quando ex- Thim. 1.
terna iudicia: reſipiſcentiam integram promit-
tunt. Solius enim Dei eſt, renes, & corda ſcru-
tari. Hac in re exemplo nobis eſt Pharao, qui
fuco bonæ mentis, ſpem Moyſi luſerat: ſuam
cõfitẽs impietatem. Ad hæc. Populi liberationẽ
pluſquã ſemel mentit⁹ eſt. Nichilomi⁹ cũ locu- Pſal. 7.
ſtarum multitudine regnum ſuum deſtructum
iri cerneret, feſtinus vocauit Moyſem, & Aaro-
nẽ, quos tamen paulo ante domo ſua deturbari
iuſſerat. Quid ad hæc Moyſes & Aarõ? Nõ diffe-
runt. Non exprobrant tot mentitas promiſſio-
nes, nec turpem eiectionẽ ſed alacriter prope-
rant: nec minus humiliter. Regiſque emen-
dationem ſperantes, malè commiſſorum facile

obliuiſcuntur. Ob id eo exemplo & beati Petri,
Mat. 18 non ſolum ſepties ſed & ſeptuagies ſepties, id eſt, indeterminato numero, toties quoties remittere aduerſariorum noxam debemus, maximè qui munere euangelico, mores aliorum
Rom. 12. habemus componere. Nam ſic prunas ardentes, ſuper eorum capita congerimus, id eſt, fomenta charitatis: & humilitatis. Nec dubito humilitatem Moyſi, & Aaronis, multum contuliſſe vt ſeſe humiliaret Pharao, dicens. *Peccaui in dominum Deum veſtrum.* Exiſtimo [Si præſentem iuſticiam ſpectes] confeſſionem Pharaonis fictione caruiſſe, tametſi illi non profuerit, quod comitem non habuerit perſeuerantiam, eius tamen confeſſio omnino non caruit fructu, cuius ſimilitudinis exemplo, ſine fictiōe pœnitere
Luc. 15. poſſumus. Peccaui (inquiebat) in dominum Deum veſtrum. Verum. Hoc eſt veræ pœnitentiæ ſpecimem, fateri in Deum peccaſſe, quem non ſuum dicit. Fuit enim quaſi ſine Deo, quandiu eius reſtitit voluntati. Quemadmodum prodigus indignum patris filium ſe rebatur vocari, quod patris ferulam ad tempus declinaſſet. Dicebat ergo. Peccaui in dominum Deum veſtrum. Meum quidem natura, & poteſtate, ſed perfidia cordis, & contemptu mandatorum ſuorum: non meum, veſtrum quidem Deum, cuius lægatos intrepidè egiſtis, cuius præcepta omni timore ſublato obſeruaſtis. Et cuius ope, & auxilio, magos meos ſuperaſtis, cuius amore roborati, nullam Regis maieſtatem erubuiſtis, cuius miſericordiæ recordati, me vos vocantem

non ſpreuiſtis. Poteram quidem ſoli Deo peccata mea detexiſſe. Sed quos conſpicio miniſtros Dei in plagarum inflictione: ſpero minimè defuturos pro venia in interceſſione, quos non minus reor apud Deum poſſe, vt me iuuet peccatum confitentem, quàm vt plagis afficiat: ſuæ voluntati reſiſtentem. Ea de re non ſolum me in eum peccaſſe: ſed in vos. Male confeſſionis non potuit inſimulari Pharao, per quam miſericordiam fuiſset conſecutus, ſi perſeuerantiam habuiſset. Rectè igitur in Deum verum & in eius legatos peccaſse fatetur, vt tali exemplo diſcamus noſtra peccamina Deo confiteri. Sed & beatæ Mariæ virgini, & omnibus ſanctis, & quidem non temerè. Si obiiciat argutulus non inde ſumendũ a Pharaone exẽplum quem conſtat finaliter obduratũ, o lepidum argumentũ! Quaſi veniant ſpernenda Salomonis oracula, cuius ſalus incerta eſt. Aut Balaam (quẽ conſtat Dei iuſto iudicio interiiſse) vaticinia, quæ de Chriſto perhibuiſse teſtatur ſcriptura. Sed ita detur, quod Pharaonis cõfeſſio non debeat nobis eſſe exemplo. Sanctis tamen confiteri, pietati Chriſtianæ conſonum eſt. Quoniam prodigus, cuius pœnitentia, & virtus a Chriſto laudãtur non ſolum in patrẽ [qui Deũ exprimebat] verum ſe & in cœlum peccaſſe dicebat. Cœli autem nomine, non ipſum qui voluitur orbẽ intelligas velim: ſed cœlicolas. Nec minus fecerunt Iſraelitæ, qui ob ſerpentes ignitos, non ſolum contra Deum, ſed & cõtra Moyſem: ſe peccaſſe proclamarunt. Sed nunc dimitte peccatũ michi etiam hac vice.

Num. 23 & 24.

Luc. 15.

Num. 21

Nemo putet hāc Pharaonis deprecationem ineptam, aut idolatriam olentē, pro qua Moyſes non eſt dedignatꝰ deprecari, tametſi Pharao dixerit. *Dimitte peccatum michi.* Nec veniunt noſtri tēporis hæretici audiēdi, qui nos blaſphemiæ inſimulant, quod ſacerdotū arbitrio noſipſos præſentamus: peccatorum remiſſionis gratia, quaſi imputemꝰ creaturæ: quod ſoli Deo cōgruit. Sed nemo inficietur eos toto errare cœlo, qui vnicā dimittēdi peccata rationē intellexerunt. Nam ſi cauſam ſpectemus effectiuā: qua gratia infunditur, & ad nichilū redigit᷑ culpa: fatemur peccata a ſolo Deo remitti. Si vero meritū cōſideres, ſolū Chriſtum Deū & hominē: exiſtimato remittere. Poſtremo. Si miniſteriū accipias: Sacerdotes habere poteſtatē dimittēdi peccata: nemo ambigit [Si ethnicū, & hęreticū excipias] verūquidē non ea poteſtate Moyſes, qua noſtri Sacerdotes, donabatur, tametſi altera gauderet prærogatiua. Nichilominus peccata dimittēdi: aliqualem habuit poteſtatē, per preces cuius non ſtetit: quominus plaga ceſſaret. Interim. Ne a vero alienū cēſeatur, quod ſacerdotum miniſterio eluantur
Leuit.6. peccata, non ſolū in nouo, verū & in veteri teſtamēto apertiſſimū teſtimoniū habet᷑, vt liquido pateat non ſolū euāgelicos, imo & Sacerdotes Leuiticos hāc poteſtatē habuiſse, ratione tamen
Mat.16. diuerſa, Euāgelici igitur ſacerdotes hanc a Chriſto ſuſceperūt poteſtatē, vt quæ ſoluerēt in terris: ſoluerētur & in cœlis. Idq; ſanxit Chriſtꝰ, vt quod figurali ratione fuerat ſacerdotibꝰ Leuiticis cōceſſum, in ſacerdotibus euāgelicis cōple-

retur. Nec omnino dubitandũ eſt,quod nullum peccatum in lege veteri, remiſſione dignũ fuit, quod nõ fuerit ſacerdotib⁹ detectũ. Aĩa [inquit ſcriptura] quę peccauerit,& contẽpto dño nega- uerit proximo ſuo depoſitũ quod fidei ei⁹ fuerat creditũ, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit,ſiue rẽ perditã ĩuenerit & inficiãs inſuper peierauerit. Et quodlibet aliud ex plurib⁹ fece- rit:in quibus ſolẽt peccare homines,cõuicta de- lecti reddat oĩa,quæ per fraudẽ voluit obtinere: integra, & quintã inſuper partẽ dño, cui dãnum intulerat. Pro peccato aũt ſuo offeret arietẽ im- maculatũ de grege, & dabit eum ſacerdoti iuxta eſtimationẽ mẽſuramq; delicti q rogabit pro eo corã dño,& dimittetur illi pro ſingulis: quæ fa- ciẽdo peccauit. Itaq; ad ſacerdotũ noticiã vſque peccata extẽdi vt dimittãtur, ãtiquũ: & Leuiticũ eſt. Abſoluere verò ſacramẽtaliter,ſolis ſacerdo- tibus euãgelicis cõceſſum eſt. *Etiã hac vice*. Qua- ſi poſt hac minimè peccaturus. Et hæc ſanè eſt ſincera petitio, qua in poſterũ peccata denuo nõ cõmittẽda proponũtur. Caueãt tamẽ ſacerdotes, ne eos quorũ peccata audierũt:iuramẽto obſtrĩ- gant,ne in eadẽ peccata, quæ cõfeſſi ſunt, rela- bãtur, dãnationis maiori periculo, reddãt obno- xios. Monitos tamẽ eos velĩ,vt pro virili eos ob- firmẽt ne a firmiſſimo reſipiſcẽtię fructu excidãt & hac vice ita remiſſionẽ poſtulẽt pœnitẽtes, ne cum Pharaone mutantes propoſitum: pariter intereant. *Et rogate dominum Deum, vt auferat a me mortem iſtam.* Ordinatiſſima eſt hæc depre- catio, quæ priùs pro delicti venia rogauit.

Leuit. 6.

Et vt locuſtarum plaga, quæ mors dicitur, aufe-
ratur. Quia charitatis ordo ante prouidet animę
quam corpori. Siquidem anima plus eſt quàm
Mat. 6. corpus. Gratis ergo diues epulo refrigerium
poſtulat, & flammę cauſatur cruciatum, qui gra-
uitatem peccati non nouit deteſtari. Et probè
Chriſti oraculo edocti, prius dimittantur nobis
Luc. 16. debita noſtra poſtulamus. Deinde liberemur a
malo, nomine autem mali, cuncta aduerſa ve-
niunt intelligenda, quæ in hoc mundo contra
nos molitur inimicus. Nec temerè aduerſus
peccatum prius oratio venit texenda, quàm ad-
uerſus quodcunque malum quod ab anima ali-
enum eſt. Quia libentiùs Deus delet peccatum,
quàm pœnam. Nam pœna quandoque gloriæ
Dei obſequitur, peccatum verò ſemper illi ad-
uerſatur. Nec eſt tutior orādi forma, quàm quæ
primùm animæ ſaluti patrocinatur. Etiam ſi ille
qui depræcatur, grauioribus peccatis fuerit ob-
noxius. Hac in re, nobis erit exemplo Manaſſes
qui poſt Prophetarum necem, & idolatriæ ab-
hominationes, cùm ſtrictis carceribus in Babi-
2. Pa. 33 lone captus teneretur, in oratione, quam ad do-
minum fudit, ità ordinem debitum ſeruauit, vt
priùs iniquitatē ſuam agnoſceret. Deinde pec-
catorum veniam rogaret. Et tandem mala ſibi
inæternum non reſeruarentur, ſed indignus ſal-
uaretur precatus eſt. Quem vehementer exal-
tauit dominus Deus quod ſoluta captiuitate, ita
Deo adhæſit vt vitæ prioris auerſaretur veſtigia.
Executio promiſſionis non minus remedium
attuliſſet Pharaoni, qui in prece iſta minor Ma-

naſſe non habebatur. Nam peccatum, quod animæ mors eſt, ante poſtulauit auferri quàm locuſtas quarum tamen tormentum rebatur mortem. *Rogate*, dicebat, *dominum Deum veſtrum, vt a me auferat mortem iſtam*. Vbi enim vitæ alimentum ſubtrahitur, quid niſi mors expectatur? quandoquidem nichil omnino virens relictum eſt in lignis, & herbis, parum erat arboribus obfirmari radicibus, & ſtare, quibus tamen non licebat ſuccum radicis in fructibus exprimere. Mors igitur erat ipſis arboribus, quæ & ſi non mortuæ: tanquam tamen mortuæ habebantur. Et quid affert hæretica factio, quæ locuſtis haud abſimiles ſunt non leuata quidem pennis ſcientiæ: ſed vento inanis gloriæ, quæ & ſi in omnibus hominibus non præcindat radicem. i. fidẽ. Ita tamen aculeo rodit adulationis, & deceptionis, vt manente fide, nichil omnino virens relinquatur. i. nulla virtus, nullus feruor, nulla boni operis mentio, ſed merum fidei nomen manet. Rogemus ergo dominum Deum noſtrũ vt auferat a nobis mortẽ iſtã. i. vt fide ſincera radicati, ſatagamus, vt per bona opera, certã faciamus electionem noſtrã. Nouerimus enim, quia fides ſine operibus mortua eſt. Et arbor radice erecta, quę ad fructum vſque non peruenit: tanquam mortua perhibetur. Merito igitur locuſta quæ ita arbores rodebat, mors ipſi Pharaoni erat. Sed quid fuit Pharao pro peccati venia deprecatus niſi arbor radicata, nichilominus quia fructu ſuæ orationis caruit: mortem pro vita ſuſcepit. Inſuper, afflictio quæ peccatori ad ſa-

1. Pet. 2.

Iacob. 2.

lutem non prodeſt,æternæ damnationis pignus eſt, quæ morte grauior cenſetur. *Et orauit dominum, qui flare fecit ventum ab occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam proiecit in mare rubrum.* Orante Moyſe ſubmerſit locuſtas in mare rubrum, in typum eorum quæ fienda erant per Chriſtum, qui ad hoc venit vt diſſoluat opera
1. Io. 3. diaboli, qui vento vrente ingratitudinis, introduxit locuſtas, id eſt, adulationem, mendacium, hæreſim quibus homo ſuis deſtitutus eſt bonis. Sed merito Chriſti,& vento ab occidente,id eſt, gratia ſpiritusſancti quæ ab occidente eſt, id eſt, quæ a Chriſti mortis virtute manat, proiecta eſt locuſta in mare rubrum quo baptiſmus figura-
Rom. 6. tur. Quoniam quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte illius baptizati. Conſepulti enim ſummus cum illo in mortẽ vt gratia Dei, quæcunque in nobis damnationis erant: baptiſmo obruantur. *Non remanſit nec vna quidem in*
Rom. 8. *cunctis finibus Aegipti*. Quia nichil damnationis eſt hijs qui ſunt in Chriſto Ieſu. Nec eſt aliquod peccatũ quod offenſum a baptiſmo nõ diluatur. *Indurauit dominus cor Pharaonis.* Non profuit deprecatio debito ordine deprompta: quàm gratiarum actiones non clauſerunt. Nam, inquit Apoſtolus, in omni ratione, petitiones veſtræ, cum gratiarum actione innoteſcãt apud Deum. Quemadmodum fertur egiſſe poſt captiuitatem
Phili. 4. tem Manaſſes, qui poſt orationem, & petitionum acceptionem, ſic gratias Deo egiſſe perhibetur, vt inſtauraret altare domini,& immolaret ſuper illud victimas, & pacifica, & laudem, ali-

oquin. Sanè grauior erat eius quàm Pharaonis cauſa. Vide igitur quantum habeat de Dei beneficijs gratitudo, quæ ceptæ pœnitẽtiæ perſeuerãtiam promeretur qua indiguũ Pharaonẽ ingratitudo fecit, qui precibus Moyſi liberatus: nec Deo gratias egit, nec filios Iſrael, vt promiſerat, dimiſit. *Extende manum tuam in cœlum. & ſint tenebræ ſuper terram Ægipti, tam denſæ vt palpari queant.* Nulla modo fit comminatio, vbi de inflictis plagis, & impenſis beneficiis: nulla expectatur emendatio. Ideò ô Moyſes extende manum tuam, id eſt, ſatis expectatũ eſt ſatiſque diſſimulatum, extendiſti palmas in cœlum, vt exaudita prece tua: ſol meus ſuper Pharaonem oriretur. At veòr, poſtquam mea clauſis oculis ſuſcepit beneficia: nec ſol iuſticiæ luxit illi. Ideo. *Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ. &c.* Vt tu qui pacis & tranquillitatis pro eo apud me extitiſti interceſſor: ſis nunc eius cœcitatis impetrator· Extende aduerſus eum manum vltricem: quàm adiutricẽ contempſit. Sic cõtigit Iudæis, quibus lux veritatis ſubducta eſt. Quia dũ Chriſto prędicãte, lux ĩ eorũ cordiũ tenebris luceret: lucẽ tamen non cõpræhenderunt. Atq; tantis tenebris obducti ſunt & talibus, vt palpari potuerint. i. vt ipſa experientia error poſſit ab errantibus depræhendi. Quia poſtquam dñs permiſit tenebras, iudicio quorumdã lucẽ exiſtimari, ne mendaciũ diu fallat, tantã apparentiã tenebrarũ, id eſt hæreſum, quæ aliquando veritatis fuco fuerunt interlitæ, manifeſtari faciet: vt palpari poſſint .i. vt nemo tam rudis tãque ineruditus *Ioan. 1.*

& ſtolidus ſit: qui hæreſi m veritatem exiſtimet. Olim aduerſus Eccleſiam inſurrexere hæreſes nonminus pernicioſæ, quã hæc quæ nunc vſum habent, nullum tamen tempus quàm noſtrum denſiores habuit. Non improbo Arrianam hæreſi n Chriſti diuinitati aduerſari immediatius quàm Luteranam, aut Caluinicam, ſed ſubtiliore, vel vt melius dicam, fallaciore ſacræ ſcripturæ fuco fulciebantur: vel fulciri fingebatur. Quid enim apertiùs & clariùs quàm nullum malum impunitum relinqui? Quid denſiùs quã obtentu ſanguinis Chriſti, purgatorium ſupprimere: vt impunitas promittatur peccatorũ? Quid clariùs quàm ſanctorum iuuari precibus? Quid denſiùs quàm illis de noſtra ſalute ſollicitudinem adimere? Quid clarius in oratione, afflictione voluntaria facilius exaudiri? Quid dẽſius quã afflictiones volũtarias ridiculo habere, quos in precurſore ſuo. Chriſtus laudaſſe perhi-
* betur? *Nemo putet in ciborum & veſtium lu-
Gregor. xu peccatum deeſſe, quia ſi hoc nõ eſſet nequa-
hom. 3. quàm dominus Ioannem de veſtium aſperita-
11 *Mat.* te laudaſſet. Quid clariùs quàm Chriſtus in cœnaculo corpus proprium Apoſtolis edendum præbuiſſe? Quid denſiùs quàm merum panem dicere? A domino igitur factum eſt, & eius miſericordia, vt hæreſes noſtri temporis tam denſæ ſint. i. adeò manifeſtè, vt non niſi volentes homines decipiantur. Nam ſupra modum decipiuntur, qui Lutero, & Caluino, vim ſubtilem ſuadendi tribuunt. Siquidem ſibi ipſi hanc iniuriam aquirunt, vt ſtolidi, & inepti vocentur,

qui ſtolidos ſubtiles exiſtimant, & ineptos doctos, quorum hęreſes adeo patentes ſunt vt mediocriter in ſacris literis eruditus, facilè poſſit eorum vafriciem & ſtropham deprahendere. Legerint multum non improbo. Imo legerint libros omnium. Non certè librorum lectura, ſed librorum intelligentia doctos reddit, quæ animo decipiendi, aurę popularis deſiderio, odioque cleri: in Lutero, & Caluino ſopita eſt. quibus cõtigit id quod olim comminabatur Moyſes, nempe quia noluerunt audire vocem domini, vt facerent mandatũ eius & ceremonias. Ideo percuſſit eos dominus amentia, & cœcitate, ac furore mentis, vt palpent in meridie, ſicut ſolet palpare cecus in tenebris. *Et facta ſunt tenebræ horribiles: in vniuerſa terra Aegipti.* Extenſio manus Moyſi in cœlum, accuſationis cõtra Iudæos typũ tulit, quibus ita loquebatur Chriſtus. Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſpęratis. Illo ergo eos & hæreticos accuſante, qui Moyſi verbis ita abutuntur, vt ſanctis adimant honorem a Deo impartitum, quid manet eos, niſi cœcitas cordis, & errandi cupido, quibus eorum affectus ſic obſcuratur, vt terra miſeriæ, & tenebrarum habeantur digni, vbi ſempiternus horror inhabitat? Rectè ergo Ægiptijs, typum hæreticorum habentibus, hæc tenebrarum horribilium denſitas congruit, quæ ſecundum nomen, & meritũ illata eſt hijs qui odio filiorum Iſrael adeo fuerunt excecati, vt panis quo Ioſeph tempore famis Ægiptum nutrierat: pœnitus fuerint obliti. Iuſto ergo Dei iudicio factum vt qui oderant fi- Ioan. 5.

lios Iſrael quos rectis oculis aſpicere non poterant, tribus diebus nemo Ægiptiorum fratrem ſuum videret. Et quidem id hæreticis congruit qui Eccleſiæ patrum priſcorum doctrinam faſtidientes, conuiuere hiis non poſſunt, qui antiquorum Doctorum amplecti ſententiam ſoliti ſunt. Quod fit vt tantis hæreſum inuolucris implicati, tribus diebus (quibus completa temporis menſura ſignatur) id eſt nullo tẽpore poſſit quiſpiam hæreticorum videre fratrem ſuum. i. hæreticum. Quia & ſi ſint ab Eccleſia diuiſi nõ tamen poſſunt inuicem vniri. *Vbicunque autem habitabant filij Iſrael lux erat.* Tenebrarum denſitas id eſt hæreſum peruerſitas, veritatem Dei ludere non poteſt. Nunquid (inquit Apoſtolus) incredulitas Iudæorum fidem Dei euacuauit? Vide tenebras denſas & dilatatas valde. Sed ad habitationem filiorum Iſrael extendi non poſſunt. Ne quiſpiam exiſtimet Eccleſiam [quæ Iſrael filiis conſtat) tenebris hæreſum perditum iri. Diſce inſuper filios Iſrael nichil deperdidiſſe claritatis ob onerum grauitatem, ne putemus ruituram Eccleſiam, ob tyrannorum ſœuitiam. *Cum ignoremus quod debeat immolari.* Nemo ſacrificaſſe Deo ritè cenſeatur, qui ſacrificium perfectũ non obtulerit. Ob id, in lege nullum animal veniebat offerendum: quod macula diſtinguebat, Pharao ergo typus Satanæ, annuit quidem vt homines ſacrificent, modo remaneant pecora quæ non vult Deo mactata offerri. Quia & ſi Satanas aut eius membra id eſt hæretici non improbent vt Deus laudetur, nolunt

Rom. 21

Deut. 17

tamen pecora mactari id eſt corpora attenuari ieiunio, vigiliis, aut cilicio. Satis autem placet hugnotiſtis qualiſcunque melodia, tamen ieiunium, ciborum delectum, incultam & aſperam veſtem, pro grandi piaculo habent. Itaque Deo ſacrificandum eſt ad animalis vngulam vſque, vt nullum membrum Dei laude vacet. *Non videbo vltra faciem tuam*. Nulla vſpiam legitur Pharao, ſimili ira percitus. Nec grauiùs fert Satanas, & hæreticus: quàm completum ſacrificium. Nec vnquam mortem comminatus Moyſi niſi nunc legitur, quia nulla attrociori plaga afficietur Eccleſia, niſi tempore Antichriſti, qui maximè ſacrificio iugi aduerſabitur. Typus ergo Satanæ ob id Moyſem ſua deturbat præſentia, ſuo certè incommodo. Interim cum Moyſe diſcamus minas perditorum non pertimeſcere, cum quo ad finem vſque fidei conſtantiam teneamus: noſtræ ſaluti maximè eſt accommodum, ac æternæ gloriæ acquirendæ neceſſarium. Amen.

Homilia XXIIII.

DIxit autem Dominus ad Moyſem & Aaron in terra Aegipti, Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni. Omiſſo, non temere, vndecimo Capite quod duo in ſumma complectitur. Alterum Ægiptiorum ſpoliationem, alterum verò Primogenitorum Ægipti necem, primũ homilia ſexta

diſcuſſum eſt. Secundum verò die natiuitatis Chriſti reſeruatur diſcutiendum. Nunc autem ante decimæ & poſterioris grauioriſque plagæ inflictionem, de agni immolatione, ſeſe offert diſſerendi opportunitas, quæ corporis & ſanguinis Chriſti ſacrificij propitiatorij: figura extitit apertiſſima, Sacrificii (inquam) corporis & ſanguinis Chriſti nedum ad crucem cruenti, verum & incruenti, quod in miſſarum ſolenniis quotidie præſentatur, ſi cominus & ad amuſſim diuerſas diſpiciamus rationes. Quo docemur, vt quemadmodum populus Iſrael egredi non potuit Ægiptum, niſi agno non ſolum immolato, verum etiam & comeſto. Sic mundi huius pericula declinare non valeamus, nec Satanæ (Pharaone potentioris) poteſtatem, niſi merito Chriſti, qui ſua morte ſeſe verum, & immaculatum agnum exibuit. Vnde Eccleſia hunc morem inuiolatũ ſeruauit, vt nemo hinc morte diſcedat, niſi ſumpta Euchariſtiá vt re ipſa & veritate, exutus corpore, ſatanicam euadat ſeruitutem. Sicut Iſraelitæ typo ipſius Pharaonis: iugũ de ſuis humeris excuſſerũt. Sed ad rem. Frequẽter refert ſcriptura dominum locutum ad Moyſem, ſed non conſueuit addere. *In terra Ægipti.* Niſi hac vice tantum, nec quidẽ gratis. Nam in Moyſi, & Aaronis laudem dictũ putato, ne cõminatione Pharaonis exiſtimes eos exterritos fuiſſe. Legitur namque Moyſes ſibi fuga conſuluiſſe, cum Ægiptium occidiſſet. Sed vbi verbi Dei apparitionibus frequenter fuit confortatus non potuit minis terreri. Nec exiſtimaſſet Ægiptum

ptum verè reliquiſſe ſi ſolus ſine populo fugiſſet, maximè cum populo immineret ex fuga periculum, & cognoſceret populum in breui liberãdum. Alioquin fuga (ne tentaretur) veniebat optanda. *Menſis iſte. &c.* Fuerit Aprilis menſis iſte, aut Martius: nichil intereſt. Satis ſit ad noſtram eruditionem, tempus cognoſcere tanti huius beneficij quo vita humana fluit totius *Gen. 12.* anni caput fuiſſe inſtitutum, vt tunc primùm nos viuere putemur: cum in Chriſto baptizamur, & in eius morte, quæ vitæ noſtræ principium eſt. Nam tunc verè eſſe incipimus, cum vitæ bonæ habemus exordium, vel in baptiſmo vel in morte quæ ſanguine agni precioſa cenſetur, & morum integritate. Fertur Abraham ſeptuaginta annorum, cum egrederetur de Haram, quod ad tempus, quo pro fide inter Caldæos dimicauit, & non ad tempus natiuitatis carnalis referri poteſt. Caput ergo anni, ſeu Princi- *Ioan. 1.* pium menſium, origo vitæ animarum noſtrarũ eſt: quæ a Chriſto manat, qui author eſt vitæ, radix meriti: & fons gratiæ: de cuius plenitudine nos omnes accepimus. Annus autem compleri non poteſt, niſi primum menſem cæteri ſequantur. Et quæ eſt plenitudo menſium niſi plenitudinis Chriſti ætas ad quam nemo poteſt perue- *Heb. 12.* nire, niſi principium anni ſequatur id eſt, niſi aſpiciat in authorẽ fidei, & conſummatorem ſalutis Ieſum Chriſtum, qui principium menſium eſt, imo omnium rerum, quæ ſine ipſo nichil omnino ſunt? Principium (inquam) menſium eſt, in quo ſol eſt in ariete. Quia quid eſt Chri-

ſtus niſi ſol diuinitatis, & aries humanitatis, qui Deus eſt & homo. In ſole, Chriſti permanens iuſticia, in ariete mactatio tranſiens ſignantur. Siquidem homo ſanctus in ſapientia manet ſi-
Eccl. 27 cut ſol. Idem ergo menſis, quo ſol in ariete eſt, principium menſium & anni eſt, quia omnium bonorum radix eſt, quando in eodē ſigno, id eſt, Sacramento, totus Chriſtus offertur, qui eſt ſol iuſticiæ immutabilis, & Deus æternus, & homo qui veluti aries mactatus eſt, quādo Deus vltionum conuertit ſpiritum vltionis, in ſpiritum manſuetudinis. Et tunc ſol eſt in ſigno arietis, quando immortalis Deus libenti animo, mortalitatem ſuſcepit. Tunc in ſigno arietis eſt, quando & ſi Deitate ſemper viuat, occidit tamen in paſſione, & contubernio carnis: mortuus factus eſt. Tunc principium anni, id eſt, author
* ſalutis nobis fuit, quando omnis * ſalus homi-
Criſoſto. nū, & omnis gloria Dei, in Chriſti morte poſita
in Math. eſt. Nulla enim res eſt, quæ magis ad ſalutem
cap. 20. hominum pertineat: quàm mors ipſius. Nec eſt aliud propter quod magis debeamus gratias agere: quàm propter mortem ipſius. Et aptè quidem veritas typum ab eccleſia naſcente ſequuta eſt, quando memoriæ beneficiorum Chriſti potiſſimum mortis deuotioni, orationi, verbi Dei declamationibus, meditationibus, contemplationibus eleemoſyniſque: delectum tempus præ cæteris tribuitur. Et ne Paſcha temerè celebremus, quo ſanctam Quadrageſimam decoramus ad hoc tempus tranſlatum eſt, vt ieiunio corpora macerantes, illius recordemur, qui non ſo-

lum ieiunio verum etiam crucis ſupplicio: ſeipſum manducandum obtulit. *Decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas.* Non niſi decima die parabatur agnus immolandus: qui a grege ſegregabatur. Quia Chriſt' qui agni veritas eſt eò a peccatoribus ſegregatur, quia innocēs, ſanctus, impollut', quod fieri non poteſt, niſi intercedēte obediētia, quæ omnium mandatorū obſeruātiam cōplectitur, eaque mandata decē dierum numero cenſentur. Qua propter. Quod cœptum in figura: in Chriſto completum eſt, qui de patre ſuo ait. Et quæ placita ſunt ei facio ſemper, cui obediens ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne: viuificatos autē ſpiritu, quibus, illius exemplo eorumdem præceptorū obſeruātia opus eſt. Vt hac cenſeamur a cæteris ſegregati, qui Satanæ, & mundo: nomina dederunt. Sic Apoſtolus ſegregatus eſt de vtero matris ſuæ .i. ſynagogæ, vt cōtinuò nō acquieſceret carni, & ſanguini. Sic reliqui Apoſtoli de mundo electi ſunt ne de cætero de mundo eſſent, vti agni fierent, quibus dictum eſt. Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. Sic etiam tanquā agni ſegregandi ſunt ſacerdotes qui ſemper præſto eſſe debēt pro cæteris & ſeipſos Chriſtū offere. Sic vxorati ſegregādi veniunt vt quemadmodū agni ob ętatē coitus impatiētes ſunt. Ita & hij tanquē vxores non habētes ſint, cum de ſumenda Euchariſtia agitur, quæ agnū paſchalē: pro figura habuit. *Sin autem minor eſt numerus vt ſufficere pſſit ad veſcēdū agnū,*

Hebr. 1. *Mat. 11.* *1. Pet. 3.* *Gvlat. 1.* *Mat. 10* *1. Cor. 7.*

aſſumet vicinum ſuum qui coniunctus eſt domui eius. Sacramentum Euchariſtiæ quod dominus in agno, & azimis figurabatur, quàm crucis miſterio non ingluuiei cauſa inſtitutum eſt, nec corporalis voluptatis. Ob id temperatiſſima ſumitur menſura exteriùs quod effuſa tribuitur animæ interiùs ad ſalutem. Si enim ad figuræ ſumptionem, tanta modeſtia opus erat: vt ſine nauſea manducaretur. Quid cum verum Chriſti corpus ſumitur? Quamobrem carpebat Apoſtolus Corinthios, quod ad menſam domini accedentes: ebrietatem ſectarentur. Nam cum æſus carnis Chriſti remedium habeat
1.Cor.11 aduerſus læthalem fructum, quo totus mundus mortalis factus eſt, gula conſpurcetur indecorum eſt: quod contra gulam tribuitur. Itaque quàm primum ſobrietatis tantum ac tale Sacramentum ſumentes admonitos voluit dominus, qui tantam modeſtiam ad figuræ ſumptionem præcepit, vt etiam ſobrietas propria: alienam indigentiam ſubleuaret. Vicinus erat aſſumendus, ne in ſumptione charitas deeſset, cuius gratia ſumenda venit Euchariſtia, quàm agapæ vocarunt antiquiores, id eſt, charitatem. Meritò ergo arguuntur Corinthij quod ipſimet ebrij: confunderent & contemnerent eſurientes, qui vnde ſatiarentur non habebant. Si tamen myſterium deſideres, rectè aſſumendos vicinos iudicabis qui noſtram ſuppleant paucitatem, id eſt, incapacitatem. Et tunc numerus ſufficiens eſt, quando is qui agnum manducat, myſteria eius penetrare valet, non

acie oculorum, nec naturali indagine: ſed robore, & virtute fidei quã ex vicinis mutuamur, id eſt, ex cæteris eccleſiæ mẽbris, vt iam noſtra fides ſit communis, & integra, & non opinione noſtra inconſtans & nutabunda, id eſt, vt credamus propter eccleſiæ teſtimonium: magis quàm propter iudiciũ perſonale. Nec indiſcriminatim vocandi ſunt ad tantum myſterium, ſed hij qui noſtræ domui coniuncti ſunt. Quandoquidem Hæretici vicini noſtri ſunt, quia ijſdem eccleſiæ viſceribus geniti, ijſdẽ doctrinæ vberibus olim nobiſcum nutriti dicuntur Chriſtiani, ſed quia primam fidem irritam fecerunt, non ſunt coniuncti domui noſtræ, id eſt, eccleſiæ, quæ domus noſtra eſt, quam reliquærunt qui a nobis exierunt, ex nobis tamen non erant tametſi nominetenus fratres noſtri dici poſſint. Sed meliores ſunt vicini iuxta quam tales fratres procul. Vicini itaq; coniuncti noſtræ domui. i. Chriſtianæ familiæ. Apoſtolorũ, & martyrũ omniumq; cœlicolarum chori ſunt, quorũ fidei & doctrinæ hæredes & imitatores, ſufficientes erimus ad æſum agni. Denique igitur ſine illorum imitatione nunquam hunc agnum comedere præſumimus. Dicimus enim, communicantes & memoriam venerantes in primis glorioſæ ſemperque virginis Mariæ Dei genitricis. Sed & beatorum Apoſtolorũ & martyrũ Petri, Pauli, & cęterorum, perinde ac ſi dicamus. In eadem fide, nos Imolare, & comedere agnũ Dei, credimus in qua virgo concepit, & peperit, quàm Apoſtoli ſancti prædicauerũt pro qua beati martyres paſſi ſunt:

Hebr. 3.

1. Io. 2.

Pro. 27.

nos dicimus. Itaque vicinis aſſumptis, nos per Dei gratiã ad eſum agni ſufficimus. Quia videlicet, & ſi totum eius myſterium cõpræhendere non valemus, ſatis tamen eſt quia de illo nichil contra Apoſtolicam fidem ſentimus. *Erit autem agnus abſque macula, maſculus agniculus*. Nolim hic maculã colorũ varietatem in vellere intelligas, quemadmodum refert ſcriptura oues Iacobo commiſſas peperiſſe maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa. Cum interdum varijs coloribus, variæ, & diuerſæ Chriſti virtutes ſignantur, qui a ſua ſponſa vocatur dilectus cãdidus, & ru-

Cãt. cãt. cap. 5. bicundus. Sed maculæ nomine, manca mẽbrorum compactio venit intelligẽda, aut ſuperflua, aut impetigo, aut cæcitas, debilitaſque: quibus peccatum declaratur, quod Chriſtus nunquam commiſit, qui agnus Dei ſecundũ ſimplicitatem, & innocentiam dicitur quemadmodum & immaculatus ſine crimine, vtpote qui tollit pecca-

Ioan. 1. ta mundi, & propitiatio noſtra eſt apud Deum,

1. *Io.* 2. non ſolum pro peccatis noſtris, ſed etiam pro totius mundi. *Maſculus*. Quia oportebat authorem ſalutis eiuſdem ſexus eſſe: cuius fuit author perditionis de quo ita loquitur Apoſtolus. Per vnum hominem peccatum in hunc mũdum intrauit. Nec plures vno dicit, tametſi Eua pecca-

Rom. 5. uerit, & ad peccatum Adam virum ſuum induxerit. Ob id Euæ peccatum dumtaxat mundo per occaſionem nocuit. Adam verò omniũ malorum cauſa extitit, qui pro omnibus iuſtitiam originalem depoſitam habebat, quo ſolo peccante: illam pro omnibus perdidit. Iuſticia e-

nim originalis tantam membrorum cuſtodiebat harmoniam,vt præter voluntatis imperium, nichil in corpore moueretur, nullusque ex carnis nuditate oriebatur pudor.Interim prior Eua comedens lignum vetitum non cucurrit ad folia erubeſcens, niſi poſt viri peccatum, cuius verecundiæ extitit ſocia, quæ ſuæ culpæ participem maritum fecerat. Maſculus itaque agnus parabatur ad ſacrificium, quia maſculus debuit eſſe redemptor poſt quam maſculus fuerat tranſgreſſor, vt in eodem ſexu non tamen eodem homine, gratia peccatum ſuperaret quo iuſticia perierat. Chriſtus ſane maſculus eſt, cuius iniquitas melior eſt, quàm mulier benefaciens. Quia ille melior, tametſi falſa hominum opinione,& erroneo iudicio,iniquus,peccator, ſeductor, & malefactor fuerit reputatus, te ipſa tamen innocens: & iuſtiſſimus eſt, & longè quam mulier, imo quiuis hominum benefaciens. Nam Eua vidit lignum ad veſcendum, rebatur benefacere comedens quod bonum iudicabat, ſed non erat bonum. Imo ſi Deiparam propoſueris Chriſtus longè melior eſt, vel ſi mauis dicere. Melior eſt iniquitas viri quàm mulier benefaciens, id eſt melior eſt Chriſtus impeccabilis per naturam, qui pro nobis fecit peccatum. i. pro nobis ſuſcepit carnem humanam quę peccatũ dicitur ſimilitudine non difformitate conſcientię, quàm Beata virgo impeccabilis per gratiam cum benefecerit. *Anniculus*. Non temerè Chriſtus agno anniculo figuratur, vt pote quem nichil latet,

Eccl 42
2.*Cor.* 5

ſed cui anni integri patent qualitates vtrumque fortunam expertus. Legitur enim quod puer proficiebat ſapientia, & ætate non acquiſitione recentis doctrinæ: ſed quod ab æterno in æternitate cognouit, ex tempore experiebatur ſenſibus in humanitate. Cũ ſuper peccatorũ pœnitentiam gauderet, fleretque aliorum miſeriam,
Luc. 2. rectè annum complebat, ſentiens aduerſa hyemis in fletu & proſpera eſtatis in gaudio. Hic eſt anniculus cuius figuram quolibet anno non ſine ſanguinis effuſione offerebat. Hic eſt agnus anniculus qui in Eſaya venit prædicaturus annũ placabilẽ domino. Hic eſt agnus anniculus qui nulla temporum & annorum diuerſitate mutatur, & cuius anni non deficiunt: cum idem per-
Mat. 13. maneat ipſe. Hic eſt agnus anniculus vt exacto prædicationis tempore perfectus ſit: & omni genere virtutum inſtructus. Nam ſic annũ ſuũ id eſt curſum prædicationis impleuit, vt nec Herodes tres anni ſui dies impedire potuerit. Ecce (dicebat) hodie & cras virtutes perficio: & tertia die conſumor. *Iuxta quem ritum: tolletis & hædum.* Ad hanc ſolemnitatem nichil intererat, an agnus vel hœdus offerretur. Vtroq; enim Chriſtus figurabatur vt iuxta veritatem rei, ſimplex, & innocens, per agnum monſtraretur, falſo au-
Hebr. 5. tem rumore, & perditorum hominum opinione malus & peccator, per hœdum iudicaretur. Quia eodem ritu, & eodem crucis ſupplicio tanquam latro crucifigitur, & a patre cœleſti: pro ſua reuerentia exauditur. Eodem ergo ritu agnus aut hœdus indiſcriminatim offerebatur. Quia futu-

rum erat, vt ad idem ſacrificium agnus accederet & hœdus, agnus vt Petrus, hedus vt Iudas, agnus vt Publicanus hœdus vt Phariſæus, demũ agnus vel hœdus offerebatur, vt monſtretur Chriſti ſacrificium prodeſſe innocentibus nec nocere peccatoribus: ſi pœnitentia intercedat. Vide Chriſtum ad crucem agnum factum, & hœdum. Agnum cum matrem ſuam & Ioannẽ ſolatur. Hœdum verò vt nõ temerè pro pecca- *Luc.22.*
tis oblatum exiſtimes. Nam latroni conuerſo paradiſum promiſit. Conſidera fructum hœdi oblati. Nam ſic efficaciter orauit vt multi reuerterentur percutientes pectora ſua. *Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius.* Tot diebus iubebantur ſegregare agnum ante immolationem, vt eius recordarentur faciliùs, balatuque eius frequenter audito, ſeſe ad receſſum diſponerent: quaſi ad tubæ ſonum. Deſueti enim erant ſacrificio, tãdiu oneribus Ægipti occupati. Ideo oportuit eos quadã memoriæ arte iuuari, vt ſuperueniẽte die immolationis, nichil raptim fieret, ſed totum honeſtè & ſecundum ordinem. Multo magis debent maturè hãc gra- *1.Co.14*
uitatem ſequi, qui altaris ſunt deputati ſacrificio, & conſecrandi corpus Chriſti munus ſuſceperunt, vt non perfunctoriè, quemadmodũ pleriſque ſacrificis contigit, qui in immolatione agni non typici: ſed veri magis videntur conſuetudini quàm religioni & pietati ſeruire. Cognoſce quæſo quomodo veritas figuram impleuit, quãdo verus agnus per tot dies ante ſui corporis immolationem ſeipſum ſegregauit id eſt

apertiùs ſolito manifeſtauit, quando de Galilæa regreſſus Iudæam repetiit, & poſt tam ſtupendam reſurrectionem Lazari, præter morem, Ieruſalem cum pompa ingreſſus eſt. Et inſolentes templo deturbauit in quo non legitur quam
Ioan. 11 tunc feruentius prædicaſſe. Nec leguntur contra illum Phariſæi acrius conſpiraſſe. Ecce quomodo agnus de grege ſeipſum ſegregauit & apertiùs ſolito, ſeipſum demonſtrauit. Quo docemur vt plus ſolito ad opera virtutum accingamur, quanto nouerimus nos morti propinquiores, itaque vſque ad quartamdecimam lunam ſeruabatur agnus, quando nox tenebris non obſcuratur. Quia tunc Chriſtus menſam ſuam .i. ſacramentum Euchariſtiæ inſtituit, quãdo luna perfecta noctem reddebat clariorem, vt vmbram fugaret veritas, & noctem lux eliminaret. i. vt corpus ſuum Deo patri ad crucem offerens: figuram compleret, imo euacuaret, quæ dumtaxat agnum vel hœdum immolabat. *Immolabitque eum multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* Cum *eum* audis. Noli ſuſpicari in tanta multitudine vnicum agnum fuiſſe immolatum. Quia numeroſa agnorũ multitudo in tot familiis immolata, pro vno & eodẽ ſumebatur quod vnum, & Chriſtum repreſentaret. Nec dicitur vnaquaeque familia immolet. Sed dicitur vniuerſa multitudo, non quidem eodem loco congregata. Sed eadem fide, & eodem ritu & iiſdem ceremonijs adunata. Quia & ſi immolantes multi, vna tamen erat immolatio. Sicut quotidie in diuerſis terrarum ſpatiis etiam ſimul

ſacerdotes ſub diuerſis panis, & vini ſpeciebus corpus & ſanguinem Chriſti conficiunt: nõ tamen corpus Chriſti ſcindunt, nec ſacramenti diuidunt vnitatem ſicut ergo diuerſis locis diſperſæ familiæ, quaſi congregata multitudo cenſetur. Ita diuerſæ vbique terrarum Eccleſiæ vna & eadem Eccleſia eſt, quandiu ab eius vnitate nõ recedunt. Alioqnin.* Quomodo poteſt ei cũ aliquo cõuenire, qui cũ corpore ipſius Eccleſiæ: & cũ vniuerſa fraternitate non conuenit? Noue rint igitur cũ vniuerſa multitudine Eccleſiæ nõ immolare, qui nouum introducunt ritum, ſiue verborum formam mutant, ſiue ſenſum corrumpant, vel qui loco corporis Chriſti: merum panem introducunt. *Ad veſperam.* Quia oportebat Chriſtum offerre circa veſperam diei vt ipſa hora ſacrificij oſtenderet veſperam & occaſum mundi. Vnde ſemper Eccleſia ad veſperam offert corpus Chriſti, etiam ſi nondum meridies venerit. Quia nos ſumus in quos fines ſeculi. deuenerunt. Sed qui ſe multitudine eccleſiæ ſepararunt: iactant in Chriſti gratiam feciſſe, quatenus eius puri verbi (vt loquuntur) inuiolati viuant obſeruatores. Ob id nolunt veſtium delectum obſeruare nec reliqua, quæ laudabili, & antiqua cõſuetudine ſemper Eccleſia tenuit, quod, inquit, de Chriſto nichil huiuſmodi meminerit euangelium, ſed hæc duo vocabula. *Ad veſperam*. Iam non ſibi conſtare oſtendent. Quoniam hac in re nobiſcum conueniunt, vt ante meridiem ſuas cœnas obſcœnas porrigant, quibus ſacramenti falſum nomen tribuũt.

* *Cypria. de ſimplicitate ſacerdo.*

Cypria. Epiſt. 3. libri. 2.

1. Co. 10

Si tamen (vt mentiri conuincuntur) in omnibus Chriſtum ad amuſſim ſequuntur. Cur ergo non porrigunt ad veſperam ſuum poculum, & ſuum panem aſſeclis ſuis? Quandoquidem porrigunt ante meridiem, quemadmodum & nos porrigimus noſtris fidelibus verum & naturale corpus Chriſti, Nam ad veſperam hoc ſacramẽtum Chriſtus inſtituit. Verum nec ante meridiẽ ſciſmaticum panẽ tribuunt, vt imitentur Eccleſiam nec ieiuni accedant, qui michi inter eos captiuo dixerunt ſe non erubeſcere, ſi oppipare pranſi ſuã cœnam ſumant. Sed de hoc alias. *Et ſument de ſanguine eius ac ponant ſuper vtrumque poſtem.* * Quia per lignum ſaluandi eramus propterea iuſſit Deus vnumquenque ſanguine fores ſignare. Et quare non iuſſit Deus linire muros ſanguine, quia non eramus ſaluandi per lapides, ſed per lignum. Tunc autẽ ſanguis Chriſti ſuper vtrumque poſtem, cum figura dominicæ paſſionis frons ſignatur. Nam ſicut oſtium inter poſtes voluitur, ſic fides quæ oſtium noſtrũ eſt, maximè nititur fidei confeſſioni, quæ crucis ſigno fronti impreſſo conſtat. * Tunc ergo ſanguis Chriſti vtrumque poſtem tingit, cum non ſolum ore cordis hauritur per fidem: ſed etiam ore corporis per confeſſionem. In vtroque enim ſanguis Chriſti poſitus eſt, quando ſacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intẽta mente cogitatur. Nam qui ſic ſanguinem redemptoris ſui accipit, vt imitari paſſionem illius nec dum velit, in vno poſte ſanguinem poſuit.

* *Chriſo. cõtra Iudæos & gentiles Timo. 3.*

* *Gregor. hom. 22 in euãg.*

Qui etiam in ſuperliminaribus domorũ ponendus eſt. Liminare, ipſa mentis intentio eſt: quæ præeminet actioni. Interim Deum deprecemur, vt intentionem cogitationis noſtræ ad imitationem dominicæ paſſionis dirigentes in ſuperliminari domus, ſanguine agni, id eſt Chriſti ſignemur: vt ſigno Dei viui ſignati, nemo ſaluti noſtræ officere valeat. Amen.

Homilia XXV.

ET edent carnes nocte illa aſſas igni, & azimos panes cum lactucis agreſtibus. Declaratis agni immolandi qualitate, eiuſque immolatione. Nunc quomodo comedi debeat aperitur, & quando vt vera agni eſum non ſolum exiſtimemus neceſſarium verum etiam & modũ quia non ſolum qui non manducat, ſed & qui indignè, iudicium ſibi manducat: & bibit. Ideo in euangelio. Ille dicitur aula regia deturbari, qui ſine amictu culto ingredi præſumpſerat. Nã ſi rite agnus typicus comedi debuerit, & debitus ordo ſeruandus erat, multo magis cum de corpore Chriſti agitur. Ait ergo dominus. *Et edent carnes nocte illa*. * In ſacra ſcriptura, appellatione lucis proſperitas, noctis autem nomine: huius mundi aduerſitas deſignatur. Iubentur ergo in nocte comedere. i. in profundo aduerſitatis, quando humana fragilitas omnia deſperata rebatur. Exortum eſt in tenebris lumẽ, rectis id eſt populo Dei. Cum Deus occulta prouidẽtia, & medio ſibi poſſibili, incognitoque humanæ fragilitati, nouit afflictorum neceſſitati oc-

Mat. 22

* *Gregor. li.* 5. *moralium cap.* 51.

Pſa. 121

ſibi fuga conſulerent, & Ægiptum relinquerent. Nichil enim magis eſt quod nos a mundi fuga remoretur : quam hypochriſis. Nam nemo fugit mundum:niſi auræ popularis contemptu, quem ſummoperè deſiderat hypochrita. Quomodo [dicebat Chriſtus Phariſæis) poteſtis credere , qui gloriam ab hominibus accipitis? Siquidem credere in Chriſtum , & mundum fugere pro eodem habentur . Recto ergo Dei iudicio fit, vt hæretici qui ſacramentum Euchariſtiæ ſua cœna cōſpurcarunt, non ſolum panem pro corpore Chriſti, verum & panem fermentatum , vt tali pane eorum hypochriſis ſignetur . Interim explodenda eſt Græcorum inſania, qui fermentatis vtuntur ob ſententiam diui Ioannis ab hiis perperam intellectam, quæ ita dicit. Ante diem feſtum Paſchę, &c. Sic enim intelligunt vt ante diem azimorum , Chriſtus agnum comederit . Sed niſi quis talpa cæcior fiat, poteſt liquido cognoſcere quam diuerſum habeat ſenſum. Id ergo vult inſinuare Euangeliſta, quod mors Chriſti non fuit illi improuiſa, quoniam ante diem feſtum Paſchę ſciens ſcilicet erat Ieſus , vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem, id eſt non latebat Chriſtum Iudæ proditio nec conſilium Iudæorum, vt eum morti traderent . Quia ante diem Paſchæ, quo mortuus eſt , ſciebat diem mortis ſuæ. Sed quod ante diem feſtum Paſchæ Chriſtus ſacramentum Euchariſtiæ inſtituerit, nemo ſane mentis Euangeliſtam dixerit intellexiſſe. *Cum lactucis agreſtibus* . Lactucæ

Ioan. 5.

Ioan. 13.

agreſtes nulla hominis arte: ſed ſola Dei voluntate prodeunt, quæ cum amaritudinem habeant: præſtant tamen refrigerium. Edendæ ergo erant cum agno, nec agnus comedebatur ſine illis, quia in ſacro conuiuio in quo Chriſtus ſumitur, amaritudine opus eſt, non ea quæ fuco humano conflatur: ſed ea quæ ſecundum Deum

2. *Cor.* 7 eſt, quia tunc recolitur memoria paſſionis, non ſine animæ refrigerio in quo mẽs impletur gratia, & futuræ gloriæ manducantibus pignus datur. *Non comedetis ex eo crudum nec coctum aqua ſed aſſum tantum agni.* * Crudum quippe ex eo mãducare, eſt præter ſpiritus ſancti gratiam redẽptorem noſtrum: purum hominẽ credere. Aqua vero coquitur, cum redemptoris eſſentia: per humanam ſapientiam, ventilatur. Iudæi ergo crudum comedunt, aqua coctum hæretici, quia illi eius diuinitatem negant, iſti per humanam ſapientiam, & diuinitatis & humanitatis eius ſacramenta euacuant. Cur autem purum hominẽ credens redemptorem, dicitur, crudum comedere: non ſegniter inſpiciendum eſt. Qui certè crudam carnem comedit iniuriam cibo aut ſtomacho faciat neceſſum eſt, vt vel cibus indigeſtus euomatur aut ſtomachus nullo externo adiutus calore carnem digerere non poſſit, quæ cũ ægredi non valeat corpus: eidem adimit vitam. Sic igitur agnum comedit crudum, qui ſolo ingenii captu, tanti cibi myſteria, ſine fidei auxilio vult metiri, aut conſequens erit vt reiiciat & explodat, aut ſi comederit intereat in anima ſicut patres Iudæorum qui manducauerunt manna:

* *Gregor. in* 2. *ca.* 1. *Reg.*

na: & mortui ſunt. Ille verò aqua coquit, qui carnis infirmitate offenditur. Quandoquidem, *Ioan. 6.* Caro quæ aqua coquitur profert ſpumas. Ob id prohibetur ne agnus aqua coquatur, vt cum de veritate figuræ agitur, nullum imperfectum in tanto Sacramento conſideretur. Sed aſſus igni comedatur .i. igne diuini amoris euacuetur, quicquid noſtris ſenſibus ſcandalo eſſe poteſt. Tāta ergo indagine perſcrutari, vt quod lumine naturali capere non potes: erubeſcas credere, ſanè eſt coctum aqua comedere. Quēadmodum hij faciūt qui in hoc Sacramēto corporis Chriſti grauitatē cauſantur, vt illud exiſtere in eodem Sacramēto liberiùs negent, ſubſannātque quod plurium locorum capax creditur, vt eorum iudicio, ſi in cœlo degat: eſſe in terris non poſſit. Itaque qui propter ignem carbonē tangere non audet [vt Damaſceni vtar ſimilitudine] id eſt, qui propter vnionem qua corpus humanum ypoſtaticè verbo diuino iungitur, vultum deprimit, nec audet aſpicere, ſed diſcutere veretur, & ratione metiri huius corporis naturam, ſiue qualitates ſiue accidentia ſpectes, quod deitatis conſortio, retenta naturæ integritate, ab hijs longè ſit alienum quæ cæteris corporibus ſecundū īnmitatem congruunt. Ne, inquam, audet tangere carbonem propter ignem, qui verbi diuini gratia, in Chriſto minime ſcādalizatur propter humanitatem aſſumptam. Aſſumque igni comedit dum totum ſpiritui ſancto tribuit, qui ignis eſt, cuius tamen effectus non eſt deſtruere vel corrumpere. Sicut humanā naturam non deſtruxit,

cum illam operatione ſua Deus ex vtero virginis verbo in vnitate perſonæ cõiunxit. Nec tali igne corpus verbo iunctum non corrumpitur: ſi cæterorum corporum exuat imperfecta. Ridenda eſt igitur Caluini ineptia, qui corpus negat corpus eſſe: ſi oculis ſubiectum non pateat.
1. Cor. 2. Si eodem momẽto loca corpus habeat vno plura. Nam perſpicere non potuit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, quia animalis erat. Nec intelligebat corpus Chriſti teſtã in pſalterio dici. Et quid eſt teſta niſi mollis terra actione ignis in teſtã conuerſa? Et quid eſt caro Chriſti, ſi vnionem verbi excipias, niſi infirmitatis theca, ſi naturam corporis ſpectes quę de corporea Adami ſubſtantia oritur (non tamen ex traduce) ſanè mollis terra eſt ſed ſpiritusſancti operatione teſta facta eſt, & conſortio verbi ſolidata, vt eam tangẽtibus virtutẽ præbeat, quæ aruit in paſſione quia ab igne paſſionis: ad virtutẽ incorruptionis creuit. Ad-
Luc. 1. hæc. De ſancto ſpiritu, qui ęternus eſt ignis, vir-
Hebr. 9. go illũ concepit & ipſe per eundẽ ſpiritum ſanctum [vt Apoſtolus ait]obtulit ſemetipſum hoſtiam viuã Deo viuẽti eodẽ igne in altari aſſatur. Operatione nãque ſpiritusſancti, panis corpus vinũq; fit ſanguis. Sed hoc non ſapit humana ſapiẽtia: quæ aqua inſtabilior eſt. *Caput cũ pedibus eius, & inteſtinis vorabitis.* Cum corpus dñicum tanta ſit reuerẽtia ſumendum, vt reus habeatur corporis, & ſanguinis dñi: qui ĩdignè ſumpſerit. Cur caput, pedes & inteſtina agni, qui corporis dominici figura erat, vorari iubentur: cũ cibum vorare hijs tantum videatur congruere, quos

érapula delectat? Sanè non vt ad ingluuiem eos inſtrueret, ſed ne cauſa voluptatis: manducandus illis videretur; Qui plus ad myſteriũ quàm ad corporis nutrimentum mãducari iubebatur. Qui enim diu tẽperauit, dum cibum capit, non poteſt oſcitanter, & pigris faucibus comedere. Diu autem vixerant Iſraelitæ in Ægipto ſine religionis honore ſine ſacrificijs, quæ etiam in lege naturæ vſum habebant. Ob id iubentur agnum integrum vorare, quo docentur tanto auidiùs religioni incumbere quanto diutiùs ea fuerant deſtituti: vtpote oneribus, & flagellis oppreſſi. Ea itaque opus eſt illis qui bonam vitæ partem illecebris præbuerunt, & ea quæ ſunt ſuæ ſalutis neglexerunt vt rediment tẽpus quoniam dies mali ſunt. Conſidera Apoſtolum. Serò ad fidem acceſſit, & religionem, ſed tarditatis periculum: auiditate benefaciendi euaſit, ſeramque Euãgelij prædicationem duplici labore compenſauit. Perſecutus, inquit, ſum eccleſiam Dei: ſed gratia Dei in me vacua non fuit: & abundantiùs illis oĩbus laboraui. Sic ſanè agnum deuorauit.i. maiore niſu egit vt illi aſtipularetur nutrireturque. At quẽadmodũ ille qui vorat eo magis tẽdit vt cibo nutriatur, quàm eo delectetur. Ita Chriſtũ habere, & habitare in corde ſuo curauit quàm eo delectari .i. Tametſi Chriſtus habitare non poſſit in hominis corde, ſine animi voluptate, nichilominus plus Chriſto placere, & obedire, quàm obedientiæ mercedem ſuſcipere: ſatagebat. Ita ergo deuorabat Chriſtum agnũ verum: vt eũ in ſe haberet manẽtem

Ephe. 5.

1. Cor. 15

Gala. 1.

nullum non mouebat lapidem, imo etiam mori cupiebat. Sic eum deuorauit beata Magdalena. Nam ſic auidè eum diligebat vt remiſſionis gratia in conuiuium non accita irruens, conuiuantium intuitum: minime erubeſceret. Et membrorum officio: præteritam negligentiam ſuppleret. Itaque Chriſtum ita ſibi copulauit, vt eos merito præteriret quos falſus hominum rumor iuſtos eſſe exiſtimabat iuxta Chriſti oraculũ di-
Mat. 21. centis. Publicani, & meretrices præcedent vos in regno cœlorum.* Vorare ergo dum iubetur,
Rupert. *lib.* 2. *in Exodũ cap.* 11.
quid aliud quàm noſtræ pigritiæ torpor repræhenditur qui eius myſteria, atque verba, nec per nos requirimus, & dicta ab alijs audimus inuiti. Interim monitos velim eos qui aliquanto temporis, ſacro altari ſe ſubduxerũt, oneribus Ægipti .i. hæreſum inuolucris irretiti, vt cum ad ſanam mentem de erroris inſania redierint, doceant non perfunctoriè, nec rei familiaris, nec vitæ metu vale feciſſe hæreſibus, ſed templi ingreſſu frequenti, humili inceſſu, celeritate viſitandi ſacra, Euchariſtiam recipiendi deſiderio etiam plus ſolito, pœnitẽtiæ amore oſtenſo per peccatorum confeſſionem Sacerdoti detegendam, auiditate ieiunandi: hæreſes ſine regreſſu damnaſſe, & abiuraſſe, vt cum tantam auiditatem, & alacritatem recuperate fidei oſtenderit: meritò agnum vorare credatur. Iuſticiamque fidei eſurire, & ſitire: ſe tali deuotionis iudicio demonſtret. Sed quid ſit caput cum pedibus & inteſtinis vorare: non ſegniter conſiderandum eſt. Ille reuera caput ſine pedibus vorat, qui

gloria Chriſti cupit frui & delectari: ſed cum eo non vult humiliari. Ille vorat caput ſine pedibus, qui Ieſum quærit Nazarenum id eſt floridum, triumphantem, immortalem: ſed non crucifixum ille caput vorat ſine pedib', qui ad dextram Chriſti eſſe deſiderat, ſed calicem eius bibere recuſat. Qui vero factus paſſionum ſocius, Chriſti conſolationibus erigi deſiderat. Ille procul dubio caput agni cũ eius pedibus vorat. Caput eius eſt Deus, pedes vero ſimiles auricalco id eſt auro eri iuncto in camino ardenti humanitas eius eſt iuncta verbo, quæ tamen quaſi ab eo derelicta, camino ardenti paſſionum: claruit per immortalitatem. Inteſtina autem vorat cum capite & pedibus, qui patientia afflictionum, gloriam Chriſti deſiderat ex charitate, vt non tam commodum ſuum, quam Dei honorem. Præ oculis habeat. Inteſtina, amoris indicia & ſigna ſunt, vt inteſtina ſeu viſcera fratri clauſiſſe dicatur: qui charitatem non habet. Et tandem. Ille caput cum pedibus vorat qui oculos lucidos habet, quibus viam qua eundem ſit ad gloriã cernit, & pedes veloces non ad effundendum ſanguinem, ſed ad itineris demonſtrati executionẽ vt cum habuerit intellectum, quo ſcrutetur legem Dei: cuſtodiat illam in toto corde ſuo. Vnde Chriſtus poſtquam ſuæ dilectionis inſignia oſtendiſſet in vita: prope mortem ſurrexit a cœna, & lauit pedes diſcipulorum, vt noticiæ dilectionis ſignum, obedientiæ iungẽdum doceret. *Nec remanebit quicquam vſque mane*. Erant enim nocte illa receſſuri. Ob id iubentur totum vo-

Marci vltion. *Mat. 20* *1. Cor. 1.* *1. Ioan. 3* *Pſa. 118*

rare ante mane, ne Ægiptijs reliquiæ eſſent ludibrio eas reperientibus. Quia ſancta non ſunt canibus porrigenda, nec margaritæ ante por-
Mat. 7. cos mittendæ. Audiant ergo curiones qua mulcta digni ſunt, qui hijſce annis, cũ hæretici (quos hugnotiſtas vocaut) graſſarentur, fugientes ſibi conſulerent, & rem familiarem abundè conſeruandam curarent: reliquerunt ſanctum Domini, id eſt, Euchariſtiam in tẽplo, magno probro nominis Chriſtiani: & fidei catholicæ. De hijs quidem loquor, qui non fuerunt ab hæreticis ex improuiſo præuenti, ſed qui ſatis tẽporis habentes, tãtum myſterium, & noſtræ ſalutis præcium tãquam deſides, veriùs dixero proditores: inter manus inimicorum reliquerunt. Memine-
4 *Re.* 20 rint Ezechiæ, qui inter reges meliores computatur, repræhenſionem tamen meruit quod arcana domus ſuæ alienis reſerarit. Non tamen inde eſt ſumenda conſequentia, vt ſi de typo dicatur. *Nec remanebit quicquam vſque mane.* De veritate, quæ Euchariſtia eſt, nichil debet in templo aſſeruari, vt quibuſdam hæreticis placet: aſſerentibus id quandoque in primitiua eccleſia prohibitũ, etiam beati Clementis canonico teſtimonio. Sed futile eorum argumentum apparebit ſi aſſeruandę Euchariſtiæ diſquiratur ratio. Nam Euchariſtiam conſeruari, ſumi, adorari, diuinæ inſtitutionis eſt. Verùm aſſeruari in tẽplis, eccleſiaſtica conſtitutio iuſſit, quæ pro temporis qualitate mutari poteſt. Quod autem tempore, Sancti Clemẽtis non aſſeruaretur: non deeſt ratio. Siquidẽ fideles ferè quotidie cõmunicabant,

quorum gratia non erat opus vt aſſeruaretur. Nam maximè nunc id fit in infirmorũ ſolatium, quibus in viaticũ præbetur, non a paucis annis. Quãdoquidem refert hyſtoria eccleſiaſtica Euchariſtiam a Sacerdote miſſam nocte ad Serapionem quempiam, Non potuiſſet autẽ nocte id miſiſſe: niſi fuiſſet hoſtia aſſeruata. Si verò teſtimonium ſecũdum requiratur. Lege Optati diuo Auguſtino antiquioris, hyſtoriam contra Donatiſtas. Et illic comperies Donatiſtas acceptum in ſacrario Euchariſtiã canibus præbuiſſe, quod veritati conſentaneum eſse non poteſt, ſi aſseruandi Euchariſtiam vſum antiqua Eccleſia non habuiſset. Multa etiam obſeruabantur in Eccleſia antiquitus, quæ non temerè poſtmodum fuêre ſublata, quemadmodum dierũ ſolemnium nocte vigilabatur. Aliquãdo etiam inter manus laicorum, dabatur corpus dominicum. Imo ſacræ Hoſtiæ quæ communicantibus ſupererãt: igni comburebantur, tametſi pro grandi piaculo nunc haberetur, ſi ſimile fieret. Itaque, & ſi fidei ratio varianda minimè veniat, morũ tamen traditio, nacta opportunitate mutanda venit. Non eſt ergo conſequens, vt ſi tempore Clementis non aſseruaretur Euchariſtia, non ſit modo aſſeruanda. At ſcio, & bene ſcio, cur aſſeruandam nolunt in templo Euchariſtiam, proculdubio ne forte & ſine forte adoretur Chriſtus qui in ea non typicè, ſed verè & perſonaliter continetur. Ita vt eorum error ab alio errore originem habeat, vt tandem Chriſtus ſua ſede deturbetur, & ſuo honore deſtituatur.

Vide eorum virus qui pro tuendo errore antiquitatem inculcant Eccleſiæ, qua tamen nil habent grauius, nil oneroſius, nichilque deſpicabilius. Porrigāt ergo ſuæ obſcenæ cœnę reliquias canibus. Nos autem in ſacrario Euchariſtiā adorandam reſeruabimus : infirmiſque porrigendam. *Nec remanebit quicquam vſque mane* Si ſubtiſior requiratur ſenſus, tempus quo filius cum hominibus conuerſatus eſt, mane non temerè dici poteſt. Itaque nichil ex eo vſque mane remanſit, quia inſtitutæ Euchariſtiæ ſacramento, quo Chriſtus myſtice occiditur, iam non licet agnum occidere paſchalem. Nec talis figura vſui apta eſt, vbi veri agni, qui tollit peccata mundi, acceſſit immolatio. Forſam obiiciet quiſpiam Iudæos poſt Chriſti mortem agnum immolaſſe : & veterem ritum obſeruaſſe. At nulla potuit de agno remanſiſſe religio, cui diuinum inſtitutum finem impoſuiſſe conſtat. Interueniente autem maioris liberationis beneficio, vt pote non ab Ægipto, ſed a Satana, inſigniore memoriali opus fuit. Et ceſſaſſe debuit minoris liberationis ſignum: vt maioris introduceretur ſacramentum. *Si quid reſiduum fuerit : igne comburetur.* Vt in tanto conuiuio modeſtia ſeruaretur & ſobrietas. Iubetur reſiduum igne comburi, ne imputari videretur ingluuiei, quod nichil remanere vſque mane præciperetur. Sic enim opipatum Aſſueri conuiuium inſtructum eſt, vt nemo ad bibendum cogeretur, multomagis ſobrietate venit celebrandum, quod religione decoratur. Præſtabat itaque talem cibum igne ab-

Ioan. 1.

Hier. 1.

ſumi:quam effuſa & ſuperflua comeſtione. Nã Apoſtol⁹ Corinthios arguebat,quod ad agni nõ typici ſed veri [qui Chriſtus eſt] ſumptionem, quibuſdam eſurientibus eſſent ebrij. Sed obiiciet forſam quiſpiam. Cur dominus non iuſſit, colligi fragmenta ne perirent , quibus quina hominum milia pauerat. At aſſeruari non poterat in craſtinum : qui foras efferri vetebatur.Quod ſi fuiſſet aſseruatus, neceſsum erat vt domi remanens putreſceret aliquando, aut canibus eſſet cibus ſeu vt iam diximus Ægiptiis fieret ludibrio:quod nefas erat. Siquidem non minus de agno erat quod remanebat reſiduum, quam quod iam ſumptum fuerat, vt ne putemus ſine honore obſeruandas particulas etiam minutiſſimas,quæ ex ſacræ hoſtię fractione,quę cernuntur dilapſæ. Quis dubitat manna quod Iudæi in deſerto manducauerunt: typum fuiſse Euchariſtiæ, quod tamen non minus honoratur in vrna quã cum comedebatur? Ob id ſemper cautum fuit in Eccleſia , vt ſupra communione a fidelibus ſuſcepta:calumnia reſiduæ hoſtiæ carerent,ita vt aliquando igne abſumerentur, quandoque vero pueris qui dolum neſciũt, porrigerentur. Nunc verò ſacerdotibus ſacrum facientibus abſumendæ traduntur ne quid dedecoris corporis Chriſti [quod vere hiis continetur) contingat. Ad hæc. Myſterio non caret, quod agni reſiduum igne comburebatur. Nam quia fieri non poteſt vt fidelis quiuis, etiã quãtumuis fide clareſcat , capere poſſit omnia Euchariſtiæ myſteria, quæ exuperant omnem ſen-

1.Co. 10

Ioan. 5.

Heb. 9.

ſum, debet omnem intellectum in obſequium Chriſti redigere, ne nimia indagine extollatur aduerſus ſcientiam Dei. Sed ſancto ſpiritui ſic
1.Co.10 cuncta committere [qui igne deſignatur] vt quod comedere non poteſt igne comburat id eſt vt quod non capit, quod non videt, quod denique proprio captu comprehendere nequit: diuinæ bonitati committat. Et quemadmodum ommia igni peruia ſunt. Sic Deo (qui ignis
Deu. 4. conſumens eſt) nichil eſt impoſſibile, Si ergo reſiduum fuerit: igne venit abſumendum. Ignis namque charitas eſt qua iuuante, & ſtimulante: omnia ſunt poſſibilia credenti. Et ſicut fides ba-
Marc.9 ſis eſt charitatis. Ita fidei fomentum, & firmamentum charitas eſt, qua ad credendum inflammamur. Amen.

Homilia XXVI.

SIc autem illum comedetis Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus.
Mat.22 Ille in euangelio carceribus iubetur mácipari, qui indebito amictu menſæ regalium nuptiarum præſumpſit accedere, quo nuptiæ filij Dei celebrantur, conſummanturque, cum eius caro, & ſanguis noſtræ carni & noſtro ſanguini iunguntur, quando eius carnem in cibum, & eius ſanguinem in potum ſumimus. Ideo merito exclamat Eccleſia. O ſacrum conuiuium in
Heb, 13. quo Chriſtus ſumitur. Si enim de matrimonio quod verecundia, miſeria, & libidine non caret dicitur. Honorabile connubium & thorus im-

maculatus. Quid dicendum de iſto matrimonio,quod pudicitia decoratur,& ſine erubeſcentia publicè conſummatur, & ſine rationis detrimento delectat? Ob id opus eſt amictu decenti.i. ornatu conſcientiæ quod typice in prodigo demonſtratur,qui ad patrem reuerſus , non niſi ſtola prima amictus , ad eſum vituli ſaginati *Luc.* 15.
(qui Chriſti figura fuit) admittitur. Chriſtus ad pedum diſcipulorum ſe accingens lotionem veſtimentum poſuit. Sed non orditur Euchariſtiæ myſterium : niſi reſumpto veſtimento quod poſuerat, hac externa ciuilitate internam docens,ne tale ac tantum myſterium:ruſticitate *Ioan.*12.
conſpurcaretur quod pluris fecit quã tẽporalẽ natiuitatẽ ſuam : quæ ſcalido loco celebratur. At in grãdi cœnaculo ſtrato ſacramentũ Euchariſtiæ inſtitui curauit,quo mors eius celebratur, quæ magis quam eius natiuitas , noſtræ ſaluti contulit. Itaque cum eius ſacramenti figuram tanto celebrandi ſtudio voluit quotannis celebrari. Merito pro virili adniti decet quatenus *Luc.*22.
corpus Chriſti non niſi religioſè ſumatur, quod vtique fieri poterit , ſi modum ſumendi figuram diſpiciamus. Sic igitur ordinatur. *Renes veſtros accingetis*. Accinctos renes habere iubentur , vt expeditiùs ad iter quod mox erat conficiendum pararentur , Ægiptum relinquentes. Quia qui Paſcha comedit , mortem & tranſitum Chriſti celebrans, ſic præparetur neceſſum eſt: quaſi mox hinc diſcedere haberet. Ea de re morituris, ſacratiſſima datur Euchariſtia,

ſanguine agni litis. i. paratis ſacramento pœnitentiæ, quæ ex ſanguine Chriſti ſuam habet virtutem. Datur inquam Euchariſtia talibus, quibus grandis reſtat via. Et hoc quidem in Helia typum habet. Quidam verò ad continentiam referunt renes accinctos, quibus aſsentior, quia ea omnibus ſumentibus opus eſt, etiam ſi vxorati ſint qui ſumunt. Cum nec panibns propo-
3.Re.19 ſitionis veſci laycis non licuerit. Quod autem Dauidi conceſsum eſt vt hijs veſceretur aliquãdo, factum peculiare eſt, quod conſequentiam non trahit. Nec id quidem obtinuit niſi ab amplexu muliebri iam longè factus. Itaque ſacerdotes non niſi accinctis renibus ſacrum faciunt quod celibatui perpetuo: ſint diuino iure deuincti maximè innupti ordinati. Sed cum renes accinctos audis, velim aliud præter continentiã intelligas. Cum enim non minus renum quam cordium nomine, mentis arcana veniant intelligenda, non temerè Paſcha manducantes accin-
1.Re.21. gunt renes, quia profitentur ſuarum mentium arcana præcludi, ſi vltra fidem, humana præſumptio rimari conaretur tanti ſacramenti profunda. Nam in te caro, & ſanguis expoſtulet quo nam modo vnum & idem corpus, eodem temporis momento diuerſa loca habeat aut corpus quantitatis tantæ, exigua hoſtiæ quantitate contineatur. Mox accinge renes, nichil cuncteris, ſed ſcito quod cogitationes Dei non ſicut cogitationes noſtræ. Siquidem ſacramentum nõ eſset, ſi pręter humanum captum haberet nichil. *Et calceamenta habebitis in pedibus veſtris.* Pes ani-

mæ amor eſt qui ſi rectus charitas: ſi curuus cupiditas. Sic igitur amor noſter muniatur ne terreno deſiderio ledatur. Quemadmodum Pſeudo diſcipuli qui Chriſtum reliquerunt quod eius ſermo durus eis videretur, quibus Chriſtus D. Hoc vos ſcandalizat ob id quod dixi eſum carnis meæ & potum ſanguinis vitam æternam præbere. Perinde ac ſi dicat. Hoc vos ledit hoc *Mat.16*
vos offendit, & præbet occaſionẽ ruinæ? Sermo meus non præbet ſcandalum, ſed accipitis. Et quia vultis diſcedere ab amico, occaſiones quæritis, quia mundum diligitis. E cõtra, Calceatus petrus, dicebat. Quo ibimus, verba vitæ æternæ habes & tali erga te ferimur amore vt non *Prou.18*
tantum non ſcandalizemur in verbis tuis, verũ ea exiſtimamus ſpiritum eſſe & vitam. Calceamenta namque ea materia aptantur, quæ nec caro, nec ſanguis eſt quæ tamen cum carne, & ſanguine ſtetit aliquando. Et ea ſignantur ſancti qui nos præceſſerunt qui in carne ambulantes, non tamen ſecundum carnem ambulabant. Sic ergo calceati ad menſam domini accedamus, id *Rom. 8.*
eſt, Sic exemplo ſanctorum roboremur, vt in carne ſtantes, imo caro & ſanguis facti ſic tamẽ de Chriſto & eius verbis ſentiamus vt cum Petro dicatur nobis caro & ſanguis non reuelauit tibi. Nec hodie video, cur tam anguſtiſſimum ſacramentum impugnatur, niſi quod hæreticorum pedes luto herẽt auariciæ. Et patrum ſententijs, quibus muniri deberent: reclamare non erubeſcunt ſuas adinuentiones præferentes, imo Chriſtum minus quam ſeipſos diligen-

tes. Si vtique eum diligerēt verbis eius facerent ſatis crederentque. Cum enim dixerit. Hoc eſt corpus meum. Cur magis intelligi panem dicūt qui eius corpus ſignificet. Et non magis ipſum-
Mat. 24 met corpus, niſi quia erga Chriſtum refriguit eorum charitas, quoniam in illis abundauit iniquitas? Sicut ergo facilius pedes læduntur quos nulla calceamenta defendunt. Sic excandeſcet in Chriſti verba, qui amorem proprium: amore Chriſti non armat. *Tenentes baculos in manibus*. Baculis ſolent vti qui lubrica calcāt itine-
Prou. 28 ra ne labantur. Et illi in quibus robur deficit corporis, in fortitudinis adiutorium. Sanctam ergo Euchariſtiam ſumentes ſic in manibus habeant baculos vt lubrica itinera timeant, vt ſint ſemper pauidi, tametſi in ſpe beati, nec tamen
Eccle. 5. metu careant de propiciato peccato. Sic teneāt in manibus baculos, vt ſi ex dignitate Euchariſtiæ ſeſe ſtare exiſtiment: caueant tamen ne cadant. Nam grauiùs impegit Petrus poſt ſacramentum ſumptum quam ante, quod baculum
1 *Co.* 10 non tenuiſſet in manu vt pote qui plus iuſto: ſuę confidit induſtrię. Similiter & alij (ſi Ioannem excipias) qui Chriſto relicto fugerunt. Sed quid loquor de Petro & eius aſſeclis? Iudas ipſe poſtquam tale comedit edulium, menſuram hæreticorum impleuit, ſacræ Euchariſtiæ faciens ignominiam, quoniam eam, quando
Theoph. in Mat. exiuit de cenaculo, Phariſæis * obtulit, & ſpe abiecta diuinæ miſericordiæ ſibi ipſi contra fas & ius: manus conſciuit letales. Nec potuit diu

ſtare, cuius proditio, hypocriſis, auaricia, & cupiditas: non potuerunt aliquid attuliſſe præter ruinam. Si enim baculum domini habuiſſet in manu, id eſt, in opere vtique ſtetiſſe potuiſſet. Diſcamus igitur ſolam Euchariſtiæ ſuſceptionem non afferre ſalutis remedium: ſi vitijs fomentum non præcludatur. Nam hunc errorem quibuſdam impingit beatus Auguſtinus qui dicebant Euchariſtiam ſalutarem ſuſcipientibus etiam quibuſcunque prauis moribus vel erroribus eſſent impliciti. Hoc tamen ab Apoſtolo improbatur. Qui inquit, manducat & bibit indigne iudicium ſibi manducat & bibit. Ne ergo maledicamur non confidamus in homine nec ponamus carnem brachium noſtrum. Carnem quippe brachium ſuum ponere, eſt propriæ induſtriæ inniti, & virtutem a ſeipſo quęrere. Cęterò. Baculis vtimur aduerſus canes. Cum igitur de tanto ſacramento agitur, teneamus baculum in manibus. Quia maximè aduerſarijs, qui canes ſunt, reſiſtendum eſt, dum hoc ſacramentum explodere nituntur, quod noſtræ Eccleſiaſticæ militiæ neruus eſt. Quidam nomine baculi in manu, fidem iunctam operi intelligunt. Et profectò aptiſſimè. Quia ſicut baculus extra manum nullum poteſt dare defenſionis auxilium. Nec etiam fides iuuat quæ operibus caret. Siquidem inquit Iacobus, mortua eſt. Et comedetis feſtinantes non vt doceret comedendi auiditatem, ſed promptitudinem obediendi ne deſides fierent. Nam deſidia parit negligentiam, negligentia

1. Co. 11.
Augu. Dei ci. l. 21. ca. 25
Hier. 17
Iacob. 2.

vero contemptum, contemptus autem Inobedientiam quæ ſine peccato eſſe non poteſt. Ob id mandata Dei, myſteria redemptoris, cœleſtis patriæ gaudia cum feſtinatione cognoſcenda, & præcepta vitæ: cum feſtinatione implenda ſunt. Quia enim adhuc hodie licet bene agere ſcimus vtrum cras liceat ignoramus, ideo feſtinanter Deo obedire debemus, quia vt adiuuare nos feſtinet, frequenter eum deprecamur. Poteſt etiá alia induci ratio cur agnum iubebantur feſtinãtes comedere. Qui enim feſtinanter comedit, nõ poteſt diu ſcrutari cibum quem comedit. Quapropter ſumenda eſt feſtinanter Eucharistia nõ

Ioan. 6. quidem vt præcipites ſint qui ſumunt, quaſi non liceat per ocium ſuam ſcrutari conſcientiá, & ſeipſum probare, ſed ſic feſtinanter vt naturam fides ſuperet, & nemo dicat. Quomodo poſſunt hæc fieri? Aut Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad manducandum? Sed cũ nobis offertur Chriſti corpus ſumamus feſtinãter, Nec dicamus. Quomodo corpus Chriſti: cũ panis videatur? Quia aliud videtur, & aliud creditur, vtrũque tamen verè adeſt, & ſpecies panis quæ videntur, & ſub illis corpus Chriſti quod creditur. Cætero, feſtinanter comedendum. Ná qui (vt in prouerbio eſt) eſuriunt non poſſunt oſcitanter manducare. Illa ergo feſtinatio non diſſolutionis ſignum ſed deuotionis eſt, nõ dedecoris ſed feruoris, non gulæ: ſed diligentiæ. Et huius rei nobis exemplo Chriſtus eſt, qui feſtinans comedit & bibit non ſolum cum carnem ſuam, & ſanguinem ſuum bibit, verum cum pro nobis

nobis pateretur. Siquidē paſſio eius potus erat. Vis cognoſcere illum feſtinantem pro nobis ad crucem, & mortem quæ in ſacramento altaris celebratur? Baptiſmo (inquiebat) habeo baptizari, de morte loquens, & coartor donec illud fiat. Et alio loco. Deſideraui deſiderio hoc Paſcha manducare vobiſcum. Quando quidem ſic feſtinus properabat ad crucem, vt non expectaret aduentum militum, ſed occurit eis & vltro ſe obtulit. Et cum accuſaretur nichil reſpondit, ne ex veritatis declaratione, in reſpōſis liber dimitteretur ab hoſtibus & iudice, & mors eius impediretur quæ adeo feſtina fuit, vt Pilatus miraretur ſi iam obiſſet. Ea igitur feſtinatione nobis opus eſt vt Deo & Chriſto obſequemur, quia maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. *Eſt enim Phaſe, id eſt tranſitus domini.* Hæc ratio non ſolum ad id quod dicitur feſtinantes comedetis refertur, verùm ad omnia quæ ad agni immolationem iuſſa ſunt, id eſt. Ob id ponendus ſanguis ſuper vtrumque poſtem. Vorādus agnus cum inteſtinis & pedibus. reneſque accingendi, pedes calceati, baculi in manibus tenendi, atque agnus feſtinanter comedēdus: quia tranſitus domini eſt. Et quæ fuit Chriſti vita in hoc mundo, niſi tranſitus: & curſus? Nam ipſe exultauit vt Gigas ad currendam viam: Ita certè tranſibat, vt nec vbi caput reclinaret haberet. Sic tranſibat, & currebat, vt cum rogaretur a turbis ne diſcederet. Oportet (reſpondit) & alijs ciuitatibus euangelizare Regnum Dei: quia ideo miſſus ſum. Sic tranſibat, vt Iudęam relinquens

Luc. 12. *Luc 22.* *Mala. 1.* *Pſal. 18.* *Luc. 4.* *Ioan. 11.*

declinandæ iræ Iudæorum cauſa, ſtatim eam in-
Ioan. 4. uitis Apoſtolis repeteret. Sic currebat, & tran-
Ioan. 15. ſibat: vt fatigaretur ex itinere. Sic trāſibat hunc mundum, qui eum non cognouit, vt iterum relinquens mundum: iret ad patrem. Siquidem mors eius tranſitus eſt. Quemadmodum ergo quicquid ad agnum edendum parabatur, magis deambulantium: quàm ſtantium erant inſignia. Sic omnis noſtra actio vera debet eſſe præparatio, vt tranſeamus ex hoc mundo ad patrem, ſiue renes accinctos, ſiue pedes calceatos & cætera id genus ſpectemus. Tranſeamus ergo, quia iam Chriſtus tranſiuit. Tranſiuit quidem, mortem ſuſtinens cum occideretur: & mortem ſuperans: cum reſurgeret. Tranſiuit Ægiptum nocte, id eſt, hunc mundum qui in hac morte erat, vt cum lux in tenebris luceret: tenebræ Chri-
Ioan. 1. ſtum non compræhenderent. Et percuſſit omne primogenitum, id eſt, populum Iudæorum (qui olim primogenitus Dei dicebatur) cum fide relinqueret deſtitutum. Et vidẽs ſanguinem tran-
Apoc. 7 ſiuit nos, ne eſſet in nobis plaga diſperdens. Quia ſignatos nos in frontibus ſigno Dei viui ſanguine ſuo defendit, & prohibuit ne noce-
Hebr. 5. retur nobis. Nam ſanguinis viſio, Chriſti mor-
1. *Io.* 2. tis approbatio eſt, qua Chriſtus ſic patri complacuit, vt cum preces faceret in diebus carnis ſuæ, id eſt, paſſionis, exauditus ſit pro ſua reuerentia. Et factus eſt propitiatio noſtra apud patrem non ſolum pro peccatis ſed & pro totius mundi. Non ergo dicebat Dominus. Et videbo vos, ſed videbo ſanguinem & tranſibo vos, nec

erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſe-
ro terram Ægipti. Quia nõ ex operibus iuſticiæ *Titũ. 3.*
quę fecimus nos ſed ſecundum ſuam miſericor-
diam ſaluos nos fecit per lauachrum regenera-
tionis, & renouationis ſpiritus ſancti quem ef-
fudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Salua-
torẽ noſtrũ, qui dilexit nos in ſanguine ſuo. Ob *Apoc. 1*
id habeamus ſemper ſanguinem Chriſti in ædi-
bus noſtris in ſignum. Habeant hæretici vinum
in ædibus ſuis cum ſuá obſcœnam celebrãt. Nos
vero ſemper habebimus ſanguinem Chriſti in
ædibus noſtris, ne cum venerit dominus ad iu-
dicium, nos maneat illa terribilis expectatio, &
ignis ęmulatio quæ cõſumptura eſt aduerſarios
qui filium Dei conculcauerunt, & ſanguinem *Hebr.10*
teſtamenti pollutum duxerunt, in quo ſancti-
ficari poterant, qui ſpiritui gratiæ contumeliam
fecerunt. Nonne contumeliam eſt ſpiritui gra-
tiæ facere, ſanguinem Chriſti vino commutare,
& carnem eius pane, & verba eius mendacio
vt cum dixerit. Hoc eſt corpus meum, refragen-
tur Chriſto vt non ſit corpus ſuum quod obtu-
lit: ſed merus panis? Quæ blaſphemia maior?
Quæ iniuria atrocior? Si ergo hunc ſanguinem
in ſignum habuerimus tranſeamus confidenter,
quia iam percuſſit dominus Ægiptum, id eſt,
Satanam, qui hoc ſigno viſo, in nos non *Ioan. 1.*
habet quicquam. Quia (inquit) Qui mandu-
cat meam carnem, & bibit meum ſánguinem
habet vitam æternam. Nec obliuione dignum
eſt, quod dominus iubet habere hunc ſangui-
nem in ſignũ in ædibus in quibus ſumus vt ſatis

non videatur ſi ſanguis in Chriſto fuerit, ſi paſ-
2.Cor.7 ſus ſanguinem fuderit. Sed neceſſum eſt vt illi
commoriamur, vt & illi conuiuamus. *Habebitis
autem hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum
ſolemnem domino in generationibus veſtris cultu ſem-
piterno.* Beneficiorũ Dei obliuio ingratitudinem
Rom. 1. parit. Si enim quidam cum cognouiſsent Deum
non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias e-
gerunt. Quid facient, quorum noticia obliuio-
ne ſepelitur ne cognoſcant Deum? Nec putes
velim primum Adami peccatum præter ingrati-
tudinem fuiſse, ob quam indignus extitit diui-
no adiutorio, quo temperare potuiſset vetito
fructu quem ſolũ ſibi Deus reſeruarat. Quem-
admodum in tam ingentis liberationis recorda-
tionem, poterat totum vitæ tempus ſolemnitati
Pſa. 110 deputare. Sed hunc diem præſcribit in moni-
mentum, vt ſicut tunc memoriam fecit mirabi-
lium ſuorum miſerator dominus, qui timẽtibus
ſe eſcam dedit: Ita fieret annuatim ſuorũ bene-
ficiorũ memoria. Et ſicut ad correptionem no-
ſtrã animaduertiſse in Iudæos ab Apoſtolo ſcri-
bitur. Pariter reor eos hoc donatos beneficio, vt
Coll. 1. cum iubentur habere memoriam diei, quo de
Ægipti poteſtate liberati ſunt. Moneamur &
nos debitores eſse recordationis tenacioris, dum
Chriſtum recogitamus nos eripuiſse de pote-
ſtate tenebrarum & tranſtuliſse non in Paleſti-
nam, ſed in regnum dilectionis filij ſui. Et hac
illatione concludimus Sacramentum Euchari-
ſtiæ inſtitutum, non ſolum in Chriſti ſacrificium
verum & in eius mortis memoriam, quæ non

vno die habenda eſt, ſed iugiter & omni tẽpore, ſicut in ſacerdotũ miniſterio quotidie cernitur. Siquidẽ. Sacramentum Euchariſtiæ iuge ſacrificium meritò cẽletur. Verũ quidẽ memoriæ tenacioris cauſa vna quotannis dies aſſignatur, ſed magis in gratiam eorũ quibus non licet ſemper per ocium diuinis vacare obſequijs, quod negotijs ſecularib⁹ inuoluti, minus liberè ſeruire poſſunt. Nec quidẽ dicitur vnicuiq; celebrabis, ſed oĩbus celebrabitis, vt talis ſolẽnitas vnitate decoretur, ſchiſmate non ſoluatur. *In generationibus veſtris.* Quibus debetis rationẽ inculcare, vt vobis vita functis feruor veſtræ fidei in ſuperſtitibus pateat. *Cultu ſempiterno.* Vide modũ dicendi. Non enim dicitur cultu ſimili in ſempiternũ ſed cultu ſempiterno, vt non de figura cenſeatur intelligendum quæ ad tempus erat, ſed de veritate quæ nouum cultũ non expectat, ſi eccleſiã ſpectemus militantẽ, in qua Iuge ſacrificium donec Chriſt⁹ ad Iudiciũ venerit, permanet incolume. Iuge, inquã. Quia Chriſtus pollicitus eſt ſe permanſurum nobiſcũ vſque ad conſummationem ſeculi, non quidem eo modo quo cum hominibus conuerſatus prinſquam pateretur, ſed velatus Sacramento, cuius vſu, & frequentia, iubemur annunciare mortem ſuam, donec veniat. Nec intereſt quibus medijs, quibus vijs, & ceremonijs cultus iſte perſeueret, modo eccleſiæ Romanæ conſeruetur authoritas, ſine qua nemini licet modum quem hac in re præfixit, ſine grandi piaculo inuertere, aut eliminare, ſimul atque diuini inſtituti eſſentia non patiatur ca-

Mat. vl.

1. Cor. 11

lumniam. Maiore enim poteſtate Chriſtus donauit eccleſiam quàm olim Sinagogam. Nam Iudæi tanquam pueri habebantur. Chriſtiani vero tanquam viri: & adulti. Et quemadmodum aliter Pater familias præcipit pueris, aliter adultis. Quoniam ſi contingat quidpiam faciendum imperare puero, præfigit prius modum etiam in rebus minutiſſimis. Si vero adulto imperet, ſatis erit ſi rem faciendam declaret, nec opus vt ſic faciendum dicat. Quando ergo dominus præcipit Iudæis agnum manducare, non hoc ſolum fecit, ſed præfixit modum, tempus, nempe vt ad veſperam manducent, ſtantes, baculis muniti, calceati, feſtinantes, &c. Quando vero Chriſtus iuſſit Apoſtolis manducare, & conſecrare corpus ſuum, nec modum nec locum, nec tempus, nec horam præfixit ſed ſim-
Mat. 26 pliciter hoc facite in meum commemorationem, horum arbitrio modum relinquens quo
Ioan. 15. quod iuſſerat, facerent. Illis enim loquebatur quos non iam ſeruos, ſed amicos rebatur, quibus nota fecerat: quæ a patre audierat. Ceſſent igitur & obmuteſcant hæretici noſtri temporis. Nec obtentu Chriſti, Eccleſiæ formam immutent aut inuertant. Si enim omnino venirent obſeruanda ſimilia hijs quæ Chriſtus in hoc Sacramento geſſiſſe ſcribitur, ſanè maioris tranſgreſſionis conuincerentur. Quandoquidem nec pedes lauant eorum quibus ſuam cœnam obſcœnam porrigunt, nec ad veſperam. Inſuper extendunt mantile quod nec legitur Chriſtus feciſſe ſicut nec vnxiſſe Apoſto-

los externa vnctione, nec veſtibus peculiaribus induiſſe, Si igitur dicant Eccleſiam noſtram præter Chriſti inſtitutum multa temerè agere. Iure & eis pleraque alia exprobremus. Satis eis ſit ſi Eccleſia noſtra materiam, & formam Sacramenti non mutet. Nam tempus, locus & modus nacta occaſione Eccleſiæ iudicio mutari poſſunt. Cultus quidem ſempiternus eſt, diuerſa temporis ratio diuerſum modum ac temporalem reddit. Ad hæc. Si myſterium diligentiùs ſcrutemur. Cultus ſempiternus huius ſacrificij, non ſolum huius mundi periodum ſpectat, ſed æternum regnum quo beati ſempiternam requiē habituri cultu ſempiterno Chriſtum ſacrificant gratiarum actione, & laude dicentes. Dignus es domine accipere librū & ſoluere ſignacula eius, accipere librum (inquam id eſt, promiſſum ſoluendum & eius reuelationem. Quoniā occiſus es & redemiſti nos Deo. *Apoc. 5* Nam & ſi mors Chriſti mortua ſit, mortis tamen precium inæternum ſtat & ſacrificium corporis perſeuerat. Valeant igitùr Iudæi cum agno brutali, valeant hæretici cum ſua cœna. Nobis verò Chriſti vera, corporalis & verus eius ſanguis in cibum & potum tandiu dantur, donec nouo modo manducemus & bibamus in regno Dei. *Nichil operis facietis in eis exceptis hijs* *Luc. 22.* *quæ ad cibum pertinent.* Non ocioſitatis cauſa quæ *Eccl. 33* frequenter multam docet maliciam ſed libertatis, vt omni ſeculariū negotiorum excuſſo ſtudio, erigatur anim⁹ ad interna quæ exteriùs deſignantur.*Quia quādiu verſamur in rebus ſeculi * *Hieroni.*

Ieroni. ad Luci. & anima noſtra poſseſſione ac redditũum deſiderio deuincta eſt, de Deo liberè cogitare non poſsumus. Tametſi ſubtiliore intelligentia, nomine operis peccatũ veniat intelligendũ quod ſummopere diebus ſolemnibus cauendum eſt, opus verò quod ad cibum pertinet id eſt ad ſa-
Rom. 6. lutem, vſum ſemper habet & ad honorem Dei, quod autem ad cibum non pertinet non temerè peccatum cenſetur, quia ſtipendia peccati mors eſt. Qui ergo ſic mores componit vt honor Dei obliuione & ingratitudine non ſepeliatur
Ioan. 6. quæ ad cibum pertinent, qui non perit, operatur vita viuet, & non morietur inęternum.

Homilia XXVII. de Natiu. Saluatoris.

FActum eſt autem in noctis medio, percuſſit, dominus omne primogenitũ in terra Aegipti
Gen. 2. *a primogenito Pharaonis qui ſedebat in ſolio eius, vſque ad primogenitũ captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum.* Cum de latere Adami Euam vxorem producere diſponeret dominus Deus, tulit vnam de coſtis, & repleuit carnem pro ea non ſine grandi ſuæ clementiæ
Galat. 2 myſterio. Nam verus Adam ſibi ſponſam noſtrã aſſumens naturam, in noſtræ ſalutis adiutorium de latere ſuo coſtam ſuſtulit, & repleuit carnem pro ea, quando adueniente temporis plenitudine, ſuam ſeueritatem benignitate commutauit. Siquidẽ coſta rigida & dura eſt, caro vero mol-
Pſal. 4. lis. Hoc fuit ergo commutatio dexterę eius, vt a nobis auferret cor lapideum id eſt durum & rebelle, & daret cor carneum id eſt ad obedien-

tiam aptum. Nam eo fine Deus vltionum factus eſt Deus miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, vt ſublato omni vltionis animo nos inuicem ita diligamus: vt charitas noſtra vſque ad inimicos extendatur. Cum ſuam ad nos vſque extenderit, quos cum inimici eſſemus reconciliauit per mortem filij ſui cui propter nos non pepercit, vt nobis vtique parceret. Cuius gratia tantam ab hominibus exegit pœnam, videlicet vt iuſtè punirentur: qui in filium ſuum peccauerant. Quemadmodum contigit Pharaoni & Ægiptijs, qui occidentes maſculos modo quodam Chriſtum perſequebantur, qui vtique in illis expectabatur occidendus a Satana, qui tam immane homicidium ſuggeſſit. Nam ſicut Iudæi dicuntur Chriſtum tentaſſe qui de miſericordia Dei diffiſi ſunt Sic & Ægiptij Chriſtum perſecuti ſunt maſculos Hebræorum necantes, & populi, de quo Chriſtus venturus erat, excidium quærentes. Ob id plagis, quibus hactenus affecti ſunt. Tandem obſtinatione intercedente, & malicia in Chriſtum grauiùs ſeuiente, dum ſacrificium impedire nituntur [quod Chriſti veri ſacrificij typus erat] primogenitorum ſuorum ſenſerint interitum, quia Primogeniti Dei interitum queſierant, qui populus Iſrael erat, imo Chriſtus ipſe, qui primogenitus eſt in multis fratribus. Et quæ malicia excœcauit corda eorum ideo in noctis medio, quæ noctis tenebrarum eorum ſignum erat, percuſſit dominus omne primogenitum in terra

Eze. 36.
Pſal. 93.
1. Cor. 1.
Rom. 5.
Rom. 8.
Rom. 8.
Sapie. 2.

Ægipti. Quia per quæ quis peccat: per hæc & torquetur. Quæ enim maior nox quam Deum ignorare? Dominum [dicit Pharao) neſcio. Ideo manum domini in nocte ſentit vt doceretur ſine lege puniri: qui ſine lege peccauerat
Sap. 11. id eſt vt in Dei ignorantia pateretur, quem [fingens ignorare] offenderat. Sane equum erat vt qui iram Dei iamdudum theſaurizauerant, & impenitentia corda oſtenderant, non ſolum penam exoluerent: verum & improuiſam. Sicut contigit in diebus Noe vt ſicut populus Iſrael vitam pacificam [vt ſolebat) exiſtimant agere.
Rom. 2. Surrexit nouus Pharao qui nec Iſrael nouerat, vt caute & ſapienter eum opprimeret. Ita factum eſt vt dum quietum ſilentium continerent omnia & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo Dei exiliens de cœlo a regalibus ſedibus venit durus debellator, in mediam exterminij terram proſiliuit gladius acutus inſimulatum Dei imperium
Luc. 17. portans, & ſtans repleuit omnia morte. *A Primogenito Pharaonis. &c.* Nec magnitudo Regia remorari poteſt manum Dei, nec eius flectere iuſticiam malicioſa paupertas. Interim
Sapi. 18. nemo miretur iumenta hanc vltionem ſenſiſſe, quoniam non poteſt homo de peccatis condignam pœnam dare. Alioquin quomodo ſuſtineret? Ob id opportuit bruta partem experiri. vltionis: & iuſticiæ: quæ excidere non poteſt. Sed hodie facta eſt mutatio dexteræ excelſi. Quia qui olim percuſſit primogenitos, hodie

dedit primogenitum ſuum, & pro coſta carnem, id eſt, pro rigore miſericordiam, vt qui credit in primogenitum non pereat ſed habens poteſtatem vt filius Dei fiat: habeat vitam æternam. Nec ſine myſterio dicitur plaga Dei deſeuiſſe a Regis primogenito vſque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere. Quia hodie primogenitus non Pharaonis ſed Dei qui Rex eſt ſuper omnes Deos tanquam ſponſus primogenito naturæ humanæ (quæ captiua erat) iunctus proceſſit Deus & homo, de thalamo ſuo, id eſt, de virginali vtero. Siquidem Chriſtus & Dei & ſacratiſſimæ virginis cenſetur primogenitus, Dei quidem ab æterno genitus, virginis verò ex tempore natus. Et quidem nocte media, vt noctis vltricis horror pelleretur, & nox ad miſerorum ſolatium ſicut dies illuminaretur. Itaque ſicut cum in Ægipto omnia quieta crederentur ſubito venit mors, & interitus. Nunc cum omnia exiſtimarentur deſperata, & cum plerique Chriſtum minime expectarent maximè cum promitteretur de domo Dauid quæ per Hærodem videbatur ſucciſa. Inſuper expectabatur olim de virgine naſciturus. Quis ergo exiſtimaſſet eius matrem fore Mariam? Quandoquidem iam nupſerat. Quis enim de nuptijs virginitatis conſeruationem expectaſſet? Sed diuinum propoſitum adeo humanam exiſtimationem ſuperat, vt interdum per ea compleatur, quæ eidem videntur aduerſari vt omne os obſtruatur. Nam per Chriſtũ diuini cultus erat futura reparatio. Et quis vnquá ita diuinũ cultum

Ioan. 3.

Pſal. 18.

auerſatus eſt quam Reges, & Imperatores. Si Reges Iſrael ſpectes, ne vnus quidem idololatria mundus eſt inuentus. De regibus Iuda, nemo ſi tres excipias. Si de imperatoribus fiat métio. Comperies eorum bonam partem ſibi diuinitatem vendicaſſe. Nichilominus de Imperatore Ethnico diuina prouidentia ſumpſit occaſionem vt propoſitum, quod Satanas ſemper fuit auerſatus impleret. Tantum enim abeſt vt conſilio potentum, & Regum ſuperborum, intereat diuinum conſilium, quin potius vel illis inuitis vel inſciis, adimpletur quod diuina voluntas decreuerit. Quis tunc temporis ſacram ſcripturam credidiſset implendam vt Chriſtus in Bethleem naſceretur cum in Nazareth mater eius moraretur? Sed vide occaſionem: Ecce Ceſar qui nil minus quàm de Chriſto in Bethleem naſcituro cogitabat edictum propoſuit, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, non quidem vniuerſus orbis ſi totam ſpectes terram, ſed vniuerſus orbis cui imperabat: vt vnuſquiſque ciuitatem in qua erat oriundus repeteret, rationem reddendi gratia omnium quæ poſſidebat, quod non modicum grauamen toti populo inferebatur, ita vt prope modũ fieret ab Imperatore defectio, ad hanc prouocantibus multis, maximè Iuda Galilæo, ſicuti Ieroboã ſeparauit populũ a Roboã, quod plus æquo populus grauaretur. Chriſtus ergo tali tempore natus eſt quo po-
3.Re.12. pulus grauabatur, & ad defectionẽ parabatur, vt nos mandatorum lenitate ſubleuaret, & facilitate adimplendi ad obedientiam prouocaret,

quemadmodum, D. Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Ceſar populi damno proprijs lucris ſtudebat. Et Chriſt° hoc tempore natus eſt, vt totum quod erat & *Mat.*11.
habebat ſaluti hominum conſulens erogaret, ægenus propter nos factus vt nos diuites faceret. Edictum Ceſaris non ſine ſanguine impletur, Chriſtus autem proprij ſanguinis effuſione edictum patris compleuit, factus obediens vſq; 2.*Co.*8.
ad mortem. Non eſt ergo a ratione alienum, ſi Euangeliſta recenſeat tempus quo natus eſt Chriſtus. Quia rei familiaris, & perſonarum deſcriptio, & profeſſio, eo dumtaxat videntur natiuitati congruere in myſterium. Siquidem. Dũ *Phili.*2.
Imperator terrenus rerum ſecularium curat fieri dominator, ille tunc naſcitur nedum Romani orbis: ſed totius mundi Imperator, vt ſpiritualis impleretur profeſſio, non homini ſed Deo dedicanda. Nam ad maieſtatem Chriſti pertinet, vt oẽs manifeſtẽtur ante tribunal ſuum, & referat vnuſquiſque quod geſſit in corpore ſiue bonũ ſiue malũ. *Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide* 2.*Co.* 5.
Siriæ Cirino. Iudæa tunc ſub Sirya tãquã pars eius continetur. Et ideo, non modicum confert lectioni Euangelicæ ſcire, quis nam fecerit hanc primam deſcriptionem, vt cum audierimus Iudæos accitos ad deſcriptionem & profeſſionem per Cirinum gentilem hoc myſterio nouerimus futurum vt ſicut Iudæi amiſſo regno ad primũ Chriſti aduentum euocantur ad deſcriptionem per Gentilem: Ita amiſſis diu fide & vero Dei cultu, tandem præconio verbi Dei Iudæorum

reliquiæ ſaluæ fient & ad ſecundum Chriſti aduentum albo fideliũ aſcribentur. Et cum audis Iudæos vocatos ad primam deſcriptionem, noueris etiam & Chriſtum prius Iudæos ad Euangelium vocaſſe. Et ad tempus Apoſtolis præcepiſſe vt extra Iudæam prædicatione verbi Dei tẽperarent, nec irent in viam gentiũ nec Samaritanorum ciuitates intrarẽt, ſed potius ad oues quæ perierant domus Iſrael, quibus primum oportebat prædicari regnum Dei, ſed quoniam repulerunt illud: tranſlatum eſt ad gentes. *Et omnes ibant vt profiterentur ſinguli in ciuitatem ſuam.* Graue Ceſaris edictum. Sed edicti grauitas non remoratur ſubditos ab obedientia. Nichilominus & ſi Chriſti mandata grauia non ſint, nemo tamen fere illi paret, nemo aſpicit cum quotidie noſtræ ſalutis manus extendat adiutrices. Sed omnes quæ ſua ſunt quærunt. Interim tamen Ethnico obeditur, etiam moleſto. Malum erat omem, quod omnes Iudæi (ſi paucos rebelles excipias) ibant, cum Chriſtus nuper natus, eo deſtituebatur ſubſidio, vt in diuerſorio: nullum quieſcendi locum haberet. Quia futurum erat vt Chriſto deſpecto & ad crucem deſiderato. Solus Ceſar pro Rege Iudæorum haberetur. Sed vana eſt obedientia quæ hypochriſi carere non poteſt quam ſolius poteſtatis timor fouet. Quandoquidem nec legitimè cenſetur obedire, qui voluntatem Principis: amore Dei non complet. Ea fuit Iudęorum erga Ceſarem obedientia qui poſtquam Chriſtum crucifixerunt: Ceſarem auerſi ſunt. Paren-

Rom. 11.
Mat. 10
Mat. 15.
Act. 13
1. *Ioã* 5.
Prou. 1.

dum quidem eſt regibus ſiue eorum ducibus:
ſed propter Deum. Non ſatis erat vt profite-
rentur: ſed in ſua ciuitate. Ciuitas noſtra Ec-
cleſia eſt quę vt Ieruſalem ædificatur, in cuius
viſceribus concepti, & ſacramentis nutriti ſu-
mus. Ad hanc igitur properemus, maximè cum *1.Pet.2.*
a præſidibus, id eſt, præſulibus & paſtoribus a-
ſciſſimur non ſolum nomen, verum & noſipſos
daturi, & vilicationis noſtræ rationem reddituri, *Pſal.121*
exomologeſim noſtrorum erratuum facien-
tes, corde interius credentes, & ore exterius
profitentes. Et ſaltem nonminus quæ Dei ſunt
quam quæ Ceſaris reddentes, probemus etiam
noſipſos vt de pane ſacramētali digne edamus. *Luc. 15.*
Tunc erimus Bethleem id eſt domus panis.
Tunc per fidem Chriſtus in nobis concipietur.
Tunc per confeſſionem & externam actionem
ex nobis naſcetur. Tunc erimus mater eius cum
(vt ipſemet teſtatur) voluntatem patris fece- *Mat.12.*
rimus. *Aſcendit autem & Ioſeph.* Adeo vrge-
bat edictum Ceſaris, vt nemini parceretur, ne
quidem prægnanti tenerrimæ. Et cum in hac
deſcriptione non veniat melior exiſtimandus
Ceſar quam Dauid. Quis dubitat Ceſarem a
Satana incitatum fuiſſe, vt hanc deſcriptionem *1.Pa.12*
fieri iuberet, vt beatiſſima virgo quam hu-
milimam nouerat, longitudine, & aſperita-
te itineris grauaretur, & fructus pateretur
interitum, quem ex inſueta conceptione
filium Dei ſubdubitabat? Sed vafriciem Sa-
tanæ, diuina luſit prouidentia. Nam iuſſio
Cæſaris medium fuit quo diuinum bene-

placitum impleretur. Ita vt triplici deſiderio idem factum fiendum peteretur. A Satana, vt beatæ virgini, eiuſque fructui male contingeret, aut vt interficerentur qui per deſcriptionem inuenti fuiſſent de domo Dauid
Mat.17. deſcendiſſe. A Ceſare, quæſtus cauſa. A Deo, vt ſecundum Prophetiam Chriſtus naſceretur in Bethleem. Et cum cæteris deſcriberetur, qui factus poſtea adultus, non erubuit [cum tamen liberrimus eſſet imo ipſe ipſamet libertas] didragmam ſoluere. Tanta namque Dei bonitas vt malorum voluntate vtatur, ad boni operis complementum. Rebatur indignum Petrus,
Mat.16 & .26. quod Chriſtus a ſpurciſſimis caperetur. Quem renitẽtẽ corripuit Chriſt⁹. D. Quomodo implebuntur ſcripturę? Q. D. Sine modo Petre. Quia Statim complebitur malicia, & illis inuitis cõplebuntur ſcripturæ, quæ poſt mortem me clarificandum prædixerũt. Dicamus ergo cum Dauide domino. Tu terribilis es, & quis reſiſtet ti-
Pſal.75. bi? Dicitur & Ioſeph aſcendiſſe eo quod eſſet de domo & familia Dauid. Cum ergo eiuſdem tribus eſſet virgo, concluditur Chriſtus eſſe de ex ſemine Dauid. Itaque Ioſeph de domo & familia Dauid eſſe çenſetur tametſi faber, & plebeius quo monſtretur iam ablatum regnum a domo Dauid, ſi temporarium ſpectes, quod ſolet
Eccl.10 rerum ſecularium pompis intumeſcere, & plerumque legibus animarum ſtragem afferre. Ob id quandoque transfertur de gente in gentem propter contumelias, & dolos. Si verò ſpectes diuinum promiſſum ad Dauid factum. Sanè
regnum

regnum eius non potuit immanitate eius deſtrui, nec Ioſephi paupertate ſupprimi, nec Ceſaris auctoritate immutari: nec Chriſti humilitate deſpici. Regnum quidem Dauidis temporarium, quod diademata purpura, & auro fulgebat, & magnificentiam exterius promittebat, tanquam arbor frondoſa per Herodem ſucciſa: radicis virtutem perdere non potuit de qua tãquam virga humilitate flexibilis, virtute recta, egreſſa eſt beata virgo Maria. Et de eadẽ virgine *Eſay. 11*
Chriſtus tanquam flos aſcendit. Radicem illam velim putes regnum ſpirituale, regnum Chriſti, regnum Eccleſiæ, regnum adeo promiſſum. Regnum ſic radici comparatum, quod venuſtas eius oculis non pateat, ſed intus lateat. Quid hodie videbatur in Chriſto nuper de virgine nato? Nichil ſanæ quod eius maieſtatem ſignaret, videbatur in præſepio animalium: faſciis inuolutus. Quid videbatur cum pateretur? fœditas, ſputa, crux & ſanguis. Arbor ergo Regni *Mat. 2.*
Dauidis ſuccidi potuit. Radix vero eradicari nõ potuit. Vides ergo Chriſtum, virginem, & Ioſeph de domo Dauid ad hanc penuriam deſcẽdiſſe vt in diuerſorio locum habere non poſſint. Sic tamen Chriſtus in præſepio vt a magis (qui Reges erant) adoraretur. Hic in fœno ſuam ſeruat maieſtatem vt Herodes audito eius nomine pertimeſcat & turbetur. Vere ergo aſcendiſſe Ioſeph dicitur, ſi terræ ſitum conſideres, verius tamen aſcendebat retenta regali excellentia, quę iuſtitia eſt: non aurum. Aſcendebat veriſſime. comites habens Chriſtum & Mariam. Chriſtũ

ſuæ iuſticiæ cuſtodem, Mariam vero iuſticiæ ſociam, ſexu deſpōſatam, dignitate: & meritis dominam. Et vere aſcendere dicemur, ſi Chriſti gratiam & Mariæ fidem habuerimus: & cum eo in cœlis aſcribemur. Et poſt hanc vitam [quæ vera mors eſt] ad gloriam naſcemur *Factum eſt autem cum eſſent ibi impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium primogenitum & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio, quia non erat locus in diuerſorio*. Incitauit Satanas Ceſarem, vt virgo prægnās, occaſione deſcriptionis, aſperitate itineris grauaretur, & anticipationis tempore fructus
Mat. 5. periret. Iota tamen aut vnus apex non præteribit a lege donec illud fiat. Siquidem, periodus quæ diuinam ſequitur prouidentiam nec anticipari nec præteriri poteſt. Ob id beatiſſima virgo non peperit niſi impletis diebus cum eſſent ibi, id eſt, in Bethleē. Sed quid eſt parere niſi fructū facere? Nemo autem fructum facere poteſt niſi in Bethleē, id eſt, in domo panis quæ eſt Eccleſia, & Chriſti corpus myſticum, in quo ſi quis non manſerit non pōteſt ferre fructum: Verum quidem pariemus, cum noſtris exue-
Ioan. 15. mur miſeriis, quibus patienti ſimiles efficimur quādiu in hoc tabernaculo corporis ingemiſcimus grauati, & cū mercede laborū noſtrorū ap-
2. Cor. 5 paruerit, tunc preſſuræ noſtrę nō recordabimur.
Apo. 21 Quia abſterget Deus omnem lachrimā ab oculis noſtris, modo tamen aſcenderimus cum Maria & Ioſeph. *Et peperit filium &c*. Peperit quidem ſine dolore carnis, quem conceperat ſine illecebroſo ſtimulo carnis peperit ſine pudore,

quem cum virginitatis honore conceperat, peperit primogenitum non eo plures, quo ab Eua Gen. 3.
longe fiebat quæ conceptuum multiplicationi
propter peccatum addicta eſt, quæ cum priorem Gen. 4.
peperiſſet infantem dixit. Poſſedi hominem per
Deum. At verius id dixiſſe potuit virgo, quæ vere hominem, id eſt, Chriſtũ poſſedit per Deum,
id eſt, per ſpiritusſancti gratiam. O ſacratiſſima
virgo, merito de te canitur in Eccleſia. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu verò ſupergreſſa Eccl. 44
es vniuerſas, Eua peperit primogenitũ cuius inde ſacrificiũ reprobatur quod fide non donaretur, & manus ſuas fraterno cruore maculauit,
Lia peperit primogenitum Rubem, ſed matri
gaudio eſſe non potuit, qui patris cubile maculauit Peperit Rebecca primogenitum Eſau qui Gen. 49
tedio fuit qui ſe filiabus Heth infidelibus inconſultis parẽtib⁹ ſe matrimonio copulauit, qui iam Gen. 27
primogenita vendiderat. Ammõ primogenitus
Dauid, eius domo fuit ſcandalo ob ſororis ſtuprum. Peperiſti igitur beata virgo primogenitũ, 1. Re. 13.
tuum, qui ſic tuus eſt, vt quicunq; fecerit voluntatẽ Dei eius mater habeatur. Sic tu⁹ eſt, vt nunquã a te ſeparatus, filijs hominũ pręſens eſſe delectetur. Sic tuus eſt, vt hodie propter oẽs naſci Mat. 11.
dignatus eſt. Peperiſti primogenitũ tuũ, & merito tuũ, qui à te ſine viri copula integrã ſumpſit
humanitatẽ, peperiſti Chriſtũ nõ Cayn, quia nõ Rom. 5.
venit vt occideret fratres qui ꝓ inimicis mortu⁹
eſt, peperiſti Chriſtũ non Eſau q̃ tibi ob illicitas
nuptias tedio ſit, ſed legitimas nuptias apꝓbãtẽ,
cœlibatũ cuſtodiuit, peperiſti Chriſtũ nõ Rubẽ

qui inceſtus cauſa patrem contriſtauit, filius vero tuus ſemper quæ patri placita fuerũt fecit. Peperiſti Chriſtum non Ammon qui ſororem opprimeret, ſed qui vetaret in corde ſuo mechari, oculorum intuitu. Hic eſt filius tuus ô Maria melior mille filijs impijs: imo quibuſcunque bonis. Si filius ſapiens lætificat patrem, quale gaudium de filio habes quem peperiſti in quo ſunt reconditi theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei? *Et pannis eum inuoluit.* Quibus tenera & infantilis etas, temporis iniuriam declinaret, & naturæ infirmitatem confortaret mater, & merito pannis nudum inuoluit, quia videbat eum miſerijs humanis obnoxium (ſi peccatum & ignorantiam excipias quem ſciebat de ſe vere genitum. Quod ſi fantaſticum corpus habuiſſet, nequaquam pannis inuolui indiguiſſet. Sicut nec lauachris mater indiguit quam nulla naturæ
2. *Cor.* 4 iniuria leſerat. Itaque pannis ſecundus homo inuoluitur, vt de cętero, noſtra venuſtas ſit in occulto, & theſaurum Chriſti habeamus in vaſis fictilibus. Primus homo cuius pulchritudo exterius patebat: tranſgreſſus eſt diuinam iuſſionẽ Ob id Chriſtus ſpecioſus forma pre filijs hominum pannis inuoluitur, ne veſtium ornatu corpora noſtra decorentur, quibus tegi ſatis eſt. Sed vt corpora miſerijs obducta poſſidentes gloria animæ noſtræ tanquã filiæ Regis cœleſtis ſit ab intus, ne theſaurum veluti Adam exteriùs portantes: amittamus. Quia depredari deſiderat qui theſaurum publice in via portat. *Et reclinauit in præſepio quia nõ erat ei locus in diuerſorio.* Tametſi

fidei ſinceritas puritaſque mentis præcipuum obſequium ſit quod a nobis expoſcit dominus. Illud tamen obſequium iniuriam non habet : ſi externa acceſſerint, quia mentis in Deum eleuatione pectoris tonſione, ac genuflectione non deprimitur. Vbi autem horum nichil acceſſerit inopia, vel impotentia: præcipuum pro toto imputatur. Manaſſes ſola cordis genua flectens exauditur, cui flectere corporis genua carceris atrocitas denegabat. Sacratiſſima virgo Chriſtum peperit, & adorauit quem tamen rebus ſecundis honorare non potuit: prohibente inopia. Nam ſi turba Iudæorum congratulans Chriſto ad horam eum aſino inſidētem frondibus & ſtratis veſtibus honorauerunt. Et duo diſcipuli aſinā ei non obtulerunt niſi veſtibus ſuis paratam. Quid putas feciſſet mater Dei ſi rebus præcioſioribus abundaſſet? Quandoquidem externa templorum ornamenta non reſpuit Chriſtus, qui Euchariſtiæ Sacramentum non niſi in cœnaculo & ſtrato inſtituere voluit. Nec eijciens mercatores de templo abſtulit ornamenta nec cætera quæque præcioſa: ſed ſolam corripuit inſolentiam. Obtentu ergo deuotiſſimæ virginis non inuideant hæretici templorum decori. Nouerint autem Dei matrē puerum ſuum in præſepio reclinaſſe, non contemptu aut negligentia ſed indigentia, ſicut ab Euangeliſta excuſatur qui dicit. *Quia non erat locus in diuerſorio.* * Nulla ſanè domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo mater in fœno, filius in præſepio. Tale elegit fabricator mundi hoſpitiū, huiuſmodi

2. Pa. 33

Luc. 11.

Mat. 21.

* Ciprian' de nati. Tomo 2.

habuit delicias ſacræ virginis puerperium. Panniculi pro purpura in ornatu regio laciniæ congeruntur: genitrix eſt obſtetrix, & deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam, iungit oſcula, porrigit mãmam, totum negotiũ plenum gaudio nullus dolus, nulla naturæ contumelia in puerperio, pediſſequas ſubſtãtia familiaris non patitur, mancipiorum obſequia ſumptus tenuis & inops menſa excludit. Nullum domus arcta diuerſorium occultabat. Et vtinam Chriſti paupertas noſtrã deprimeret arrogantiam, cupiditatemque, eiuſque fœnũ doceret nos (qui caro ſumus) fœnum eſſe, & gloriã noſtram ad inſtar floris fœni dici. Et vtinã vere fœnum eſſemus, quo quieſcere delectaretur, cuius deliciç ſunt cũ filijs hominũ eſſe. In nobis tãquam in fœno quieſcat, vt eo in præſepio poſito tãquam cibo veſcamur, vt iumenta peccato facti, illo veſcentes, non ſolum hominũ verum & Dei filiorũ prærogatiuã habeam⁹. Et vere in fœno iacuit, qui docuit carnem [quæ fœnum eſt] domare. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregẽ ſuum.* Non deſunt paſtores qui vigilant in eccleſia, ſed rari ſunt qui cuſtodiunt vigilias noctis. Quoniã & ſi curã ſollicitam gerãt, vt doceantur fideles, imminente tamen perſecutione, rari ſunt qui arguãt veritatis aduerſarios, & tantum abeſt vt expectent lupum diſpergentem, vt ſeſe murum opponant. Siquidem vident lupum venientẽ tantum & nondũ inſurgentem, interim tamen fugiunt. In regione talium non naſcitur Chriſtus, quos neque oraculo ſuo di-

gnatur, quēadmodum illos quorum præſentes paſtores typi fuerunt. *Nolite timere*. Habent timere paſtores quorum deſidia greges pereunt, quoniā de manu eorum ſanguis pereuntiū exquiretur. *Euāgelizo vobis gaudiū magnum quod erit omni populo*. Occaſio timendi paſtoribus datur, quorum labor, populi duricia luditur, ſicut timebat Apoſtolus ne ſine cauſa in Galatis laboraſset. Non habent ergo paſtores vnde timeant, quando eorū populi habent vnde vere gaudeāt. *Quia natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus dominus in ciuitate David*. Cum audis non ſolum paſtores, verum & omnē populum intelligas velim, quia Chriſtus nedū naſcitur vere docenti, ſed & acquieſcenti: & ſanctæ viuenti. Cū vero dicit *hodie* nouū adiutoriū noueris mūdo aduenisſe, Saluator quidem olim erat ſed nondum natus: niſi hodie, & dicebatur Deus abſconditus. Nunc autem Deus in carne manifeſtus, qui venit vt in terris noſtris videretur, & cum hominibus cōuerſaretur & qui paſtoribus vigilantibus reuelatur virginibus dormientibus clauſis ianuis abſconditur, qui tamen omnibus hominibus manifeſtatur, vt illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Nam & ſi nocte natus fuerit ex virgine, hodie tamen natus dicitur, quia lux eſt: & tenebræ in eo non ſunt vlle. Et vtinam nox tribulationum noſtrarum tenebras impatientiæ, aut diffidentiæ non habeat. *Qui eſt Chriſtus dominus*. Alioquin non ſaluaret niſi Chriſtus dominus, dominus vt peccata mundi tollere poſſit. Chriſtus

Gala. 4.
Eſa. 45.
Baru. 3.
1. Io. 1.
Ioan. 1.

vero vt de eius vnctione, id eſt, gratia nos omnes accipiamus. Et nemo a Chriſto recte Chriſtianus cenſendus eſt niſi qui ſic dominus eſt, vt
Rom. 6 non regnet in ſuo corpore mortali peccatum, quod indignum reddit, niſi gratiã Dei ſuperuenientem habeat. *Et hoc vobis ſignum.* Inſolitum & hactenus non viſum. Alias non fuiſſet certum ſignum. *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Infantem nondũ loquentem. Sed quomodo ſaluator nondum loquẽs? Adam plus iuſto loquens, damnauit nos peccato ſuo excuſationem texens Chriſtus vero, & ſi non habeat melius ſe loquentẽ nichilominus ſaluator noſter non fuiſſet niſi aliquando tacuiſſet,
Eſa. 53. qui coram Pilato tanquam coram tondente os
Mat. 27 obſtruxit ad hoſtium ſuorum calumnias ita vt miraretur præſes vehementer. Pannis inuoluitur quibus mater eum donauit, cui ad folia properare tegminis cauſa: non erat opus: quemadmodũ Adamo cõtigit. In pãnis ergo eius accipe ſignum tuæ ſalutis, vt faſcijs decretorum matris tuæ Eccleſiæ, ornari patiaris, & noli ad vmbram erroris currere, vt folijs inanis eloquentiæ, verenda peccatorũ tuorum a Deo abſcõdas. Chriſtum etiã qui fœno iacere pertulit, præſepe non
Pſal. 48 abhorruit: ſignũ tuæ ſalutis accipe & inueniens
Luc. 15. Chriſtũ in præſepio, comede eum: vt cũ Adamo iumentis cõparatus: fias de iumento homo, imo Dei filius. *Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo celeſtis militiæ laudantiũ, & dicentium. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Si gaudiũ eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore

pœnitentiam agente, non mirum ſi ſuper totius mundi ſalute lætentur: non ſine laude Dei, vt nemo exiſtimet beatos a laude Dei arceri, * qui de ſua ſaluti ſunt ſecuri: & de noſtra ſolliciti. *
Ecce multitudo cœleſtis militiæ quæ olim vindictæ Dei in homines ſubſcribebat nunc vero pacis eſt anunciatrix (quæ Chriſtus eſt qui fecit vtraque vnum) illa pax dat gloriā Deo, & pacē cum hominibus bonæ volūtatis, quia infans pānis inuolutus natus ſit Saluator mundi. Plerumque in natiuitate filiorum regum ac principum gloria Dei deijcitur, cū baptiſma quod mundo aduerſatur: cū mūdi illecebris celebratur & pax diſſoluitur inter homines quos rerū abundātia plus equo delectat. Sed ex infirmitate gloria Dei aununciatur & ex paupertate menti tranquilitas. Nam ex Ioannis & Heliæ melotis maior gloria refulſit: quam ex Herodis purpura aut diuitis epulonis biſſo. Pax datur hominibus bonæ voluntatis cū gloria Deo datur: ſine qua nemo putet pacem eſſe. Gloria Deo denegatur cū ei reſiſtitur. Et quis reſtitit Deo vnquam & pacē habuit? Pharao peſſimæ voluntatis, gloriā Dei impediuit, nec pacē habuit, qui decē plagis non emēdatus, tandem aquis maris rubri obrutus periit. Nec Reges qui impijs auxilium præbent & hæreticis [qui Chriſtum oderunt] amicitia iungūtur, pacē habere poſſunt. Valeant impii quibus non eſt pax, nos vero per Chriſtum glorificemus Deū. Vt eum tanquā miſericordię, & totius conſolationis patrem habentes tandē in pace quieſcamus. Amen.

Cypria. de mortalitate. *Ephe. 2.* *Eſa. 47.* *1. Cor. 1.*

XX *In die immaculatæ Conceptionis ſacratiſſimæ & digniſſimæ Virginis Mariæ Matris Dei.*

MAgnificat anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus, in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Præca-
1.Theſ.5 batur olim Apoſtolus vt Theſsalonicenſes ſanctificaret, quatenus eorum ſpiritus integer cum anima ſeruaretur ſine quærela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti. Nemo autem dixerit rem integram quam diuiſam conſpexerit quæ nonniſi partibus conſtat., ita nec ſubſiſtere poteſt in partes reſoluta. Ob id Deus æternus
2.Cor.1. eſt, quod partes non habeat immutabiliter in ſe indiuiſus manens, ſeipſo ſolo conſtans, nullius rei aduenticię indigus. In quo nō eſt, eſt & non, quem impoſſibile eſt mentiri ſed eſt in illo eſt id eſt veritas & immobilis aſsertio. Ille ergo integrum ſpiritum habet qui adhæret Deo: cum
Eccle.7. quo vnus ſpiritus eſt, Vnus inquam conſenſu, fide, & obedientia non quidem eſsentia. Et eo fine conſtituit dominus initio hominem rectū vt ſemper Deo adhærens ſemper eius ſpiritus vnus cum Deo factus integer permaneret. Sed
Sapie. 1. a Deo deficiens, immiſcuit ſe infinitis quæſtionibus, id eſt diuerſis & captui ſuo imparibus. Quia inobedientia factus eſt impius, ideo in cogitationibus ſuis non defuerunt interrogationes. Videlicet an veriora ſerpentis verba,

quam Dei, An diuina prohibitio eſſet equitati coſentanea. An lignum quod tam amenũ tamque pulchrum eſſet oculis conſpicuum mortem afferret manducanti. An tranſgreſſio mandati, mortalis an venialis. An Deus inuideret *Gen. 3.*
fœlicitati alienæ. Et cum talia pleraque alia vane & lętaliter rimaretur, factus eſt in ſeipſo diuiſus vt nec ſibi conſtaret nec Deo fideret vocãti: ſed *Eſay. 5.*
eo ſpreto ad arbores confugit, quas magis quã Deum pro ſolatio elegit. Integrum ergo ſpiritum non habebat ſed errore diuiſum qua vana pro certis, tenebras pro luce, & mendaciũ pro *Mat. 5.*
veritate eligebat, magis eligens ſui criminis excuſationem texere: quam confeſſionem. At potiſſima tantæ cecitatis occaſio cordis impuritas fuit. Siquidem inquit Chriſtus. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Sanctificemur igitur neceſſum eſt Chriſti ſanguine, & ſa- *Heb. 9.*
cramentorum adminiculo vt ab operibus emũdati, integer noſter ſpiritus, ſic Deo viuenti adhęreat vt ei ſeruiendo vnus ſpiritus ſit. Nam vbi maior cordis puritas ibi maior in Deum affectus, & vbi Dei maior noticia, ibi debetur maior dilectionis vehementia. Si ergo in hijs qui peccauerunt aliquãdo, in quibus poſtquã abũdauit delictũ tanta ſuperabundauit gratia. Nõ temere crediderimus Deiparã abundãtiore & locuple- *Rom. 5.*
tiore gratia illuſtratã, quæ tanta puritate enituit qua maior in hominibus (ſi Chriſtũ excipias) haberi nõ potuit. Et vtinã illiꝰ exẽplo mũdaremur nos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, vt beneficiorum Dei memores effecti perficia-

* mus ſanctificationem in timore Dei. * Nam ſi
Chriſoſ. Homilia 18. Gen. cōtinuo beneficiorum Dei quę in noſtrū genus cōtulit recordamur, & ipſi grati erim⁹ & ad virtutis viā: magna erit extimulatio qualem nunc in virgine cernimus quæ inſueto beneficio donata, minimè in ſuperbiam elata eſt ſicut Agar aduerſus dominam ſuam, aut ſicut Eua aduerſus Deum quem non dominum cui pareret ſed ſocium habere cupiebat, vt ſibi ſicut Deo obe-
Gen. 16. diretur. Sed quæ eſt Mariæ benedictio? Non ſolum vt non multiplicarentur eius conceptus, vt pote quæ vnicum habuit qui non ſolum melior eſt mille filiis impiis verum melior omnibus.
Gen. 3. Sed hanc ſortita eſt benedictionem non vt ſibi veluti Deo obediretur ſed Deum haberet dominum cui obediret, cuius ſe ancillam magni-
Eccle. 16 pendebat, quanto pręclariora de ſe prędicari audiuit vt profundius per humilitatem deſcenderet, quanto altius ſe conſpexit euectam. Et totam ſe Deo contulit, a quo ſe totam crediderit, vt cor eius, & caro exultarent in Deum viuum.
Pſal. 83. Nam ſi Abraham videns diem Chriſti in fide & promiſſione exultauit. Quid feciſſe exiſtimabimus Deiparam virginem quando illum diem vidit in promiſſionis executione? Et quia in donis Dei ſe ſenſit cæteris (qui Deum laudarunt illuſtriorem) illis abundantius, Deo maiorem
2. Cor. 5 gratiarum actionem fudit. D. Magnificat anima mea dominum. Q. D. O anima mea, naturæ tuæ inſitum eſt vt per te corpus magnificetur, cui cum exiguum eſſet, iuncta es, vt eo gaudeas, vt ab eo non vis diuelli, nec eo ſpolieris, ſed na-

cta immortalitate eo ſuperueſtiaris. Debitrix quidem es illa vt viuat,non vt eius ſequaris deſideria, cui ita præeſſe debes, vt cum eo Deo pareas. Noli igitur. Noli,ô anima ita corpus ſociũ magnificare quod tua eget opera nec ſine te viuere poteſt,quod tibi ſubditum eſt,quod a te ſeparabitur aliquando. Sed magnifica illũ qui bonorum tuorum non eget. Magnifica illum,cuius gloriæ aliquádo iuncta nunquam ſeparaberis. Magnifica illum qui dominus Deus tuus eſt,qui ſine te viuit & ſine quo mortua es. Cur magnificatur corpus quo plerumque anima aggrauata eſt? Magnifica dominum per quem tantis virtutibus ornaris. Verumquidem ô anima corpori ſociaris, quod filij Dei nunc habitaculum eſt. Sed noli corpori tribuere,quod ope ſpiritus ſancti factum eſt. Magnificas corpus quod indies per te grandeſcit. Multomagis magnificare debes Deum quo præſente conualeſcis, magnificas corpus, ô anima, quia tecum æternam gloriam habebit. Magnifica dominum qui te & illud glorificabit. Magnificat ergo (inquit Maria) anima mea dominum, quæ quia cum corpore eſt,magnificet dominum cum corpore neceſſum eſt. Sed quid reſpondere poſſumus illi quæ ſic dominum magnificat dominum non tua, quia omnes peccauimus. Et vt tecum magnificemus egemus gloria Dei. Tua quidem ánima magnificat, quia gratia plena, non noſtra. Quia non eſt laus ſpecioſa in ore peccatoris. Anima tua magnificat & laudat,cuius intellectus ſine errore,voluntas ſine peccato memo-

Rom. 8. *Pſal. 15.* *Sapie. 9.* *Rom. 3.* *Eccl. 15.*

ria ſine obliuione beneficiorum Dei, non noſtra. Quia ſicut oues errauimus & ſenſus & co-
Gen. 8. gitationes ad malũ prona ſunt. Inſuper Magnificat anima tua dominum. Et ô beata virgo. Cur dominum magnificare differres, quæ potens es opere & ſermone, Opere quidem ſine vicio: ſermone ſine mendacio? Cur labia aperire timeres vt os tuum Dei laudes annunciet, quæ factis ne-
Pſal. 50 gare non potes illum quem labiis honoras? Si anima Dauidis Deum benedixit, quia propitiatus eſt iniquitatibus ſuis, & ſanauit omnes ini-
Pſa. 101 quitates eius. Equitati magis eſt conſentanæum vt anima tua magnificet dominum, cuius peccatum ſi quęratur: minimè inuenietur. Quia quod non eſt, inueniri nõ poteſt. Si anima peccatoris, pœnitentia & confeſſione peccatorum eluti,
Luc. 1. magnificat Deũ ſanantem, cur non anima tua dominum, ne peccato inficeretur, præuenientem? Magnificat anima mea dominũ. Quia iam eius concepiſti filium quem iam ſenſiſti, cũ
Act. 17 Ioannem adhuc in vtero clauſum ſanctificaret. Quo docemur Deum a nobis magnificandum uon ſolum cum eius filium mente concipimus, verumetiam cum cernimus eum peccatores iuſtificantem vt dilectio in nobis cæpta: in proxi-
Pſal. 93 mo compleatur. Et tunc magnificat anima noſtra dominum cum vitam, motum, & ſenſum non nobis ſed Deo tribuimus, quia in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus, Vt ſi dicamus motum pedem noſtrũ, non ignoremus miſericordiam Dei nos adiuuiſſe. Et vere dominus a nobis magnificatur cum peccatorum trãſgreſſione

nec deprimitur, nec blaſphematur, & ſiue manducauerimus, ſiue biberimus, omnia in gloriam Dei faciamus. *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Perinde ac ſi dicat Deo. Magnificat anima mea dominũ. Quia exultauit ſpiritˀ meˀ in Deo ſalutari meo. Nemo enim magnificare dominum poteſt niſi quem diuinus amor delectat & verbi Dei ſuauitas. Ea de re Iudęi non magnificarunt Chriſtum, quem quęrebant interficere. Quia ſermo illius non capiebat in illis id eſt non recipiebatur ab illis quibus erat odor mortis culpæ in mortem gehennæ. Nec poteſt exultare ſpiritus eius in Deo quem auræ popularis deſiderium tenet. Ideo .d. Chriſtus Iudæis, Quomodo poteſtis credere qui gloriam ab hominibus accipitis? Et quia gaudiũ quod fructus ſpiritus eſt: fide deſtitui non poteſt. Qui ea caret gaudere nec exultare non poteſt in Deo ſalutari ſuo. Non remoratur Diuũ Stephanum lapidum contuſio dominũ magnificare in lacero corpore, cuius ſpiritui exultationem Chriſti ſtantis in cœlo præbebat cõtuitus. Cur Dauidis cor & caro exultauerunt in Deũ viuũ, niſi quia nouerat tabernacula Dei diligenda (quæ ſunt multę in cœlo manſiones) & quia anima eius cupiebat atria domini in quibus per admirationem deficiebat, deficiebat inquã, quia nec oculus nec auris nec cor metiri poſſunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe? Ob id Chriſtus magnificabatur in corpore Pauli. Quia ſpiritus eius adeo in Deo exultauit vt illi mori Chriſtus lucrũ eſſet. Nec ob potiorẽ rationẽ ibãt apoſtoli gaudẽtes a conſpectu cõcilij quod digni fierent

1.Co.10
Ioan. 8.
2.Cor. 2
Ioan. 5.
Act. 7.
Pſal. 83.
Ioan.14
Philip.1
Act. 5.

pro nomine Ieſu contumeliam pati niſi exultatione ſpiritus permoti : quo ſane pleni erant.

Chriſoſ. 12. Luc. Quomodo ergo ſpiritus Mariæ non exultaſſet in Deo ſalutari ſuo quam fides inconcuſſa beatá reddebat, & cuius carnis cura in deſiderijs non perficiebatur ſed illius intellectum ſacrarum literarum noticia decorabat, prophetarum vaticinium delectabat, cuius mentem amor Dei ſine

Ieroni. intermiſſione inflammabat? Alioquin negocijs ſeculi plus equo occupati de Deo libere cogitare non poſſunt. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Q. D. Abſit vt hominum laudes michi arrogantiam, ſeu Dei contemptum pariant. Quinpotius vilior fiã in oculis meis. Illa enim beatitudo quam prædicature ſunt omnes generationes, nõ ex operibus meis habet originem. Siquidem ipſa diuini verbi incarnatio quæ modo in vtero meo facta eſt : ex merito meo non pendet, ſed ex mera & gratuita benignitate Dei. Obijciet forſan quiſpiã argutulus id quod eius gratia canitur in Eccleſia, Regina cœli lætare Quia quem meruiſti portare. Non inficior matrem Dei meruiſse, vt in eius vtero fieret incarnatio, quod autem ſimpliciter : nullius merito datum eſt vnquã. Exultauit igitur ſpiritus Mariæ in Deo, & magnificauit anima eius dominũ non ob id tantum quod laudandam ſe cognouit ab omnibus generationibus. Sed magnificat & exultat. Quia reſpexit dominus humilitatẽ an-

Eccl.19. cillæ. i. approbauit, & acceptauit. Non enim omnis humilitas placet Deo. Quia eſt qui ſe

nequi-

nequiter humiliat, & interiora eius plena ſūnt dolo. Videbantur humiles Eſau & Anthiochus. Sed neuter inuenit pœnitentię locū quanquã cū lachrimis quæſiuiſſet. Et quid erat humilitatem Mariæ reſpicere, niſi illam exaltare & magnificare? Iure igitur Maria Dominum magnificat, qui vt ancillam ſuam Dominã faceret: formam iam ceperat ſerui. Docemur hic [non iniuria Dei] laudare Mariam matrem Dei, non ſolum quia omnes generationes illam beatam proclamant, verum quia eius humilitatem reſpexit Deus, vt non tam illam exaltatam quàm Dominum eam exaltantem laudare videamur. Non pudeat igitur illam honorare, quàm ſic honorari Deus decreuerit: & cuius humilitatem ſic approbarit. Verum, ſi expoſitionem requiras ſubtiliorem, Nomine humilitatis interdū naturæ infirmitas ſeu imperfectio venit intelligenda. Dicit enim Apoſtolus Chriſtum reformaturum corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Notum eſt corpus humile, intelligi infirmum & ignobile. Humilitatē igitur ancillæ ſuæ reſpexit dominus, id eſt, ſingulari prærogatiua eius naturam inſigniuit, quæ ſi cauſam ſpectes, habebat ſicut & cæteri infici noxa originali cum ex Adamo originem traheret. Sed quia dignatus eſt dominus illam adiuuare non ſolum mane, verum & diluculo, id eſt, nedum in Natiuitate, ſed & in Cōceptione. Ideo ſic eius humilitatem reſpexit, id eſt, ſic eius naturam præuenit vt ſecundum effectum nichil damnationis dum conciperetur haberet, vt plus haberet ſecundus ho-

1. Ma 9
Hebr. 13
Philip. 3
Pſal. 45

mo ex eius puris ſanguinibus formatus: quàm
primus ex terra productus. Vt quid enim omnes
generationes illam beatam prędicarent niſi eue-
heretur ſupra omnes? Quomodo eueheretur ſu-
pra omnes niſi haberet quod non habent om-
Ierem. 1. nes? Fuerit eius Natiuitas impolluta & ſancta.
Luc. 1. Quid minus habuerunt Ieremias Propheta &
Ioannes Chriſti præcurſor quos conſtat ante
natiuitatem fuiſſe iuſtificatos? Suſceperit incar-
nationem verbi Dei in vtero, portauerit lacta-
ueritque filium Dei. Sed non in hoc veniſſet lau-
Luc. 11. danda niſi verbum Dei audiuiſſet, credidiſſet,
obſeruaſſetque quod vtique omni facienti vo-
luntatem Dei commune eſt, tametſi impari for-
Mat. 12. te. Hoc igitur habet ſuper omnes non ex natura
(Siquidem ſoli Chriſto congruit) ſed ex gratia,
vt quæ in cauſa culpam communem cum omni-
bus traxiſſet in effectu fuerit præuerſa, & a
Ieroni. culpa originali intacta, & gratia ſingulari inſi-
de Aſſ. gnita, cuius plenitudo ſe illi infudit cæteris verò
per partes gratia Dei tribuitur. Quam nobis di-
gnetur nobis impartiri vt cum Dei param bea-
tam prædicauerunt cum illa dominum ma-
gnificemus & ſpiritus noſter nunc
& in perpetuum exultet in Deo
ſalutari noſtro.
Amen.

FINIS.

Errata quæ in hoc libro continentur.

ſpeendide, lege, ſplendide. folio. 7. pagina. 2. linea 18. &, ſuperfluit. fo. 10. pag. 1. li. 14. infentulum, le. infantulum fo. 11. pag. 1. li. 2. ſacralego, le. ſacrilego, ibidem. li. 6. mentes, le. mentis. fo. 15. pa. 1. l. 20. ſua conditione, le. qua ſua conditione. f. 25. pa. 2 li 1. complacibus, le. complicibus. f. 33. p. 2. li. 28. proracta, l. protracta. f. 34. p. 2. l. 12. faminas, l. fœminas. f. 36. p. 1. l. 21 ſine experientia, l. ſiue experientia. fo. 38 p. 2. l. 21. pepondo, l. perpendo. f. 41. p. 2. l 15. terribus, le. terroribus. f. 44. p. 1. li 22 ad huc le. adhuc f 59 p. 1. l. 12. veritas, l. veritatis. f. 59. p. 2. l 19. innocatur, l. innocantur. f 61. p 1. li. 24. Indignum, l Indignus. f 62. p. 1. l. 24. e luto, le. eluto. f. 80. p. 2. l. 15. ranibus, l. ranis. f 84 p. 2. l. 2. aptentur, l. aptetur. f. 85. p. 2. l. 32. abſimiles, l ſimiles. f. 86. p 2 l. 8. ſegniter, l non ſegniter. ibidem, l. 28. reuerti, l reuereri. f. 88. p. 2. l. 12. Deo, l. adeo f. 106 p. 1. l. 12. temperantis l. temperantes. f. 111 p. 2. l. 15 quanta eum, l. quanta oporteat eum. f. 113. p 2. l. 3. ſane, l. ſine. f. 116. p. 2. l. 32. commitarunt, l commutarunt. f. 118 p. 1. l. 13 Aamon. l. Amon, ibidem. l. 15. habuerit, l. habuerat, f. 119. p. 2. l 2. ratione, l, oratione. f. 129. p. 2. l. 26. veor, l. verò. f. 130. p. 1. l. 15. fingebatur, l fingebantur, f. 130. p. 2. l. 9. ſeipſos, l. ſeipſis. f. 134. p 1. l. 27. tanquem, l. tanquam, ibidem. l. 29 multitudine. le. a multitudine, f. 138 p. 1. l. 21. inmitatem. l. infirmitatem. f. 141. p. 1. l. 26. temperauit, le. cibo temperauit, fo. 142. pa. 1. linea 5.

7-3